Th.
8° B. 4. 35

FLAGELLUM PONTIFICIS ET EPISCOPORUM LATIALIUM.

AUCTUM ET MULTIS ARGUMENTIS LOCUPLETATUM.

Autore
IOHANNE BASTWICK *M. D.*

Accedunt ad Calcem,
ejuſdem Autoris Epiſtolæ tres.

Prima ad quendam, qui à Reformata Religione ad Papiſmum defecerat.

Secunda de Papiſticæ Religionis futilitate.

Tertia de Romanæ Eccleſiæ falſitate.

LONDINI,
Typis *Edwardi Griffini*, ſumptibus *Michaelis Sparkes*, ſub Bibliis in Green Arbour, 1641.

BODLEIAN
LIBRARY

AD REGEM, SENATVM, POPULUMQUE *Anglicanum* Gratiarum actio JOHANNIS BASTWICK.

AGO vobis gratias, Auguſte, Proceres, populeAnglorum: quod ſolum noſtræ opis eſt; ago gratias: Verum ita ut apud Deum fieri amat ſentiendo copioſius quam loquendo. Vincor enim magnitudine beneficii & redigor ad ſilentium, non ingratus meritis, ſed oppreſſus, Quantum enim Deo & Naturæ gradatim & pro ſingulis debui; Tantum vobis univerſim & ſimul debeo. Vos mih Patriam, uxorem, Liberos, vitam & quod omnibus majus eſt, innocentiam reddidiſtis. Ingens & Immortale Beneficium, quod ut majeſtate præcellit, ita omnem facundiæ vocem præcludit præter eam quam ſæpius repeto *Ago gratias*. Et uſquequâque quidem, *ago gratias*, tum tacens, tum loquens,

quens, tum in cœtu hominum, tum ipſe mecum. Quis enim locus, quis dies eſt qui hujus beneficii non admoneat ? qui non incendat gratulandi ardorem ? Curia quæ reum extruſit jam innocentem admittit. Ipſa illa area quam cruore noſtro carnifex funeſtavit, jam bonorum & gratantium plauſu hilareſcit. Templa & piorum cœtus quibus execratum me peſſimi arcebant, nunc optimis immiſcent & agnoſcunt ſuum. Aer cœlumque quo me diri carceris horror excluſerat, jam pacent libero pectori & gratis hauriuntur. Domus quæ lachrymis & ſolitudine mœrentium uxoris & liberorum contabuerat, ſolatio reducis & gaudio vireſcit. Muſæum & deſolatæ exilio literæ, barbariem præſenti abſtergent, & afflant lætiorem ingenii cultum. Lectulus ipſe denique, quo me damnationis fulmen excuſſerat, jam feſſo redditus, ipſa recordatione beneficiorum eſt tranquillior. Illa ſe locis omnibus ingerunt, illa ubique & ſemper occurrunt, nec publicè minus quam privatim obligant. Non enim mihi tantum Civium uni ; ſed omnes ſibi, & civitatem omnibus religionemque reddidiſtis. Ipſæ vobis virtutes veſtræ, quia ego ſuccumbo materiæ agunt gratias. Pietas qua labantia jam ſacra, & defluentem in prava clerum fulciviſtis : Clementia quæ tot miſeros è vinculis, inopia, exilio reduxit, tot innoxios è rictu & dentibus Epiſcoporum eripuit : Fortitudo quæ libertatem & corporum & animorum Nobiliſſimæ genti aſſeruit : Liberalitas quæ expoliatis & degluptis hominibus, injurias & dãna reſarciit. Agant denique pro me gratias publicæ voces omnis Britanniæ, quæ jam ſperare audet

det de ſalute bonorum, & gratulari temporũ felicitati. Quare in tanta exultantis lætitiæ celebritate; durum mihi acerbumque viſum fuit, enumeratione triſtium quæ paſſus ſum, afferre moram gratulationi lætorum quibus fruor. Sed gloriæ veſtræ intereſt, ad præſentium commendationem bonorum, mala decurſa reputari & calamitates noſtras audiri, ut beneficia veſtra recognoſcantur.

Erit & hoc orationis ingratæ delinimentum quod de multis non queror. Omnibus Beneficium debeo, uni miſerias. Unus enim mihi primo exitium, mox ſibi peperit *Wilhelmus Laude* Cantuariæ Pontifex, qui obſcuris initiis, impudentibus auſis & quovis facinore inclareſcere properus tantæ infulæ dignitatem propolluit. At querelarum quantulacunque pars mea eſt? Omnis ordo, omnis ſexus, omnis ætas publica voce convitium facit ſuperbiæ & crudelitatis Homuncionis. Cui enim pepercit? quam non attrivit, ſeſquipedalis ille tyrannulus, & ſummam felicitatem nocendi hinc determinans? Quid ego referam viduatas paſtoribus ſuis Eccleſias? impletas fugitivis fidelibus longinquas ſolitudines? arctatos frequentia captivorum carceres? Saginatos bonis miſerorum Judices, cauſidicos, ſcribas damnatæ apud ſuperos curiæ? vidimus exautoratam religionem: proſcriptam pietatem, & triumphantem in profanorum agmine ſuperſtitionem. O quam parvis veniunt ſumma mala principiis! Hic omnium omnibus rebus facile infimus de cujus origine vera exequi puder, quem naſcentem circumſtitere paternæ ſordes & anguſtiæ, cui literarium ludum exercere

vetus ars & omnis census fuit, vir impotens iræ, ingenii modici, literulis tinctus, honesto & sacris ore tenus lexercitus, animum non imbutus; Hic inquam tristi adversùm superiores adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, Landavensem Pontificatum potentia Buchinghami, suffragio Jacobi Principis, assequitur; præcurrente tamen aureæ mentis insigni præsagio quam de Communi Deo plus quam ullus ille Rex hauserat; *Hâc aliquando face arsuram Ecclesiam; hâc peste flagraturum Britanniæ Regnum,* Haud temerè divinasse Regem, documento sunt sequentia. Recepto in cœlum *Iacobo* & succedente in Curas Patris optimo Principum *Carolo*, irrequieta & fallax novi præsulis paulatim assurgebat ambitio, donec a Londinensi Lituo transiret ad Cantuariense pallium: summum sacræ dignitatis fastigium. Exin mentita virtutum specie devincire Regem; summam laborum sibi poscere; solus ordinare Ecclesiæ statum, præcipuus esse cui munia Regni inniterentur. Et fidem habuisti Auguste quia merebaris; captus etiam specie satagentis viri, & sua posthabentis Tibi. Dum reducere paras seculo tuo sanctitatem morum, & Ecclesiæ tuæ innocentiam primitivæ ætatis, dum animo & cura circumis singulas imperii tui partes, dum bello pacem extundis foris, dum domi concordiam allicis exemplo tui, invenit hic Tyrannus sceleribus suis secretum. Sic districtis olim inter belli pacisque curas *Cæsaribus*, Romanus Pontifex ruptâ Sacramenti reverentiâ, novus Imperator & ipsum *Cæsarem* pressurus emicuit. Jisdem auspiciis regnum aliud in Regno tuo parabatur, vi sua staturum & tracturum

tracturum aſpernántes : Huic munimentum & autoritas è cœlo petebatur. Et cum tu Auguſte egregium hunc victoremque Nationum populum, patriæ legibus ſub Imperium acceperis, ille tumidâ arrogantiâ jactabat ſibi non gentili lege, ſed *Divino* Jure in populum tuum poteſtatem & Regnum eſſe. Quis non ad primos novi ſceleris conatus hominem riſit ? Nam res infra dignitatem iracundiæ videbatur, cum hunc terræ filium pauculi aliquot abortivæ Tyrannidis ſatellites ſpe & præmiis allecti reguli titulo & *Divino Iure* induerent. At quantos parturiebat fortuna motus ? quantum reipublicæ malum peſtis augenda ; quantam vobis gloriam reſtinguenda ſervabat? Intelligo quam difficilem in locum ſcopuloſumque devenerim ; nec enim tot revolvi piacula fas eſt gaudentium : Verumtamen quia nautas tempeſtatum, convaleſcentes juvat meminiſſe morborum, omiſſis aliorum Tyranno mîlè parentium miſeriis, ordiar a meis, quia inter omnes quos ille Saturni ignis afflavit, jure mihi vendico privilegium calamitatis. Primus impetum belluæ furentis excepi ; ſævitiam ſanguine & teterrimo carcere ; aviditatem paupertate ſatiavi. Alibi peſtis illa aut cœpit aut deſtitit, in me ſedit. Nec contumacia aut libidine ingenii irritavi potentiam hominis ; non arceſſivi periculum, diſſimilitudo nos morum colliſit ; quia optimis favebam, peſſimus oderat ; cùm Regio diademati ab inſulis dedecus metuerem pro regali majeſtate contra pontificis tyrannidem uſurpantis *Divinum jus* ſtylo depugnavi. Difficile eſt amare Principem & probari Tyranno. Inde Ilias illa miſeriarum, inde fundi mei calamitas, familiæ exi-

tium. Statim arripior à Curiæ Lambethanæ canibus quos ille ſanguine miſerorum in perniciem fidei & religionis alebat. Conſident Judices celſæ Commiſſionis. Protrahor in Tribunal ; accuſator idem eſt qui teſtis. Impingitur horrendum crimen quod infulis & apicibus *jus Divinum* negaverim ; quod *Epiſcopi & Presbyteri paritatem* aſſeruerim. Illicò recitatur lex horrendi carminis veluti in hominem noviſſima meritum. Diris & execratione proturbor ex Eccleſia : denudor agris boniſque defluxuris in fiſcum. Exuor omni vitæ ſubſidio quam Medicinæ praxi tolerabam. Condemnor & detrudor ad perpetuum carcerem, negato legendi ſcribendique, omni denique animi & vitæ commercio. Nolo tamen in Judices illos quicquam dicere inclementius, qui dum huic infulato Carnifici, ſe favore Regis jactanti infeliciter credunt, graviſſimum fortè nefas patrarunt affectu innocentium. Dum in illo corporis pædore & mentis ſolitudine contabeſco, aliquot Chartæ foliis clam ſubminiſtratis, inſcribo Apologeticum. Solùm hoc ſupererat innocentiæ levamentum. At quantus inde furor, quæ Tyranni rabies exarſit ? Novus iterum judicii ſtrepitus ; nova exitii facies. Vocor à ſcelerum miniſtris in Cameram ſtellatam, mæſtum querimoniis Tribunal & innocentibus horrendum. Aderat ipſe in illo Procerum conſeſſu viſu pariter & auditu terribilis : ſuperbia in fronte ; ira in oculis, in ore impudentia multo rubore ſuffuſa : aderat & alius nomine Antiſtes, revera Satelles. Illîc non contenti evolviſſe me rebus patriis, calumniabantur in ſanguinem, vitamque premebant rei jam pauperis. Adſtabant in eodem judicio paribus

ribus de cauſis, optimi viri habitu reorum *Henricus Burtonus* graviſſimus Theologus ; & *Guilielmus Prynn* patrii juris & omnimodæ eruditionis conſultus. Dicuntur in ſingulos Sententiæ atroces, ſanguinariæ, & ipſis barbaris efferiſque gentibus pudendæ, ſupparaſitante crudelitati Judicum Tyranno, & agente gratias *ob vindicatam* innocenti ſanguine *Eccleſiam*. O diri oris immane verbum ! Pro ultione & quidem cruenta Pontifex gratias agat ? nihil Dominum in cœlis ultioni intercedentem veritus cujus ſe ſervum mentitur ! At ille cum præfuiſſet judicio, cum fruitus eſſet damnatorum ludibriis, pollutos aſpectu ſanguinario oculos ad ſacra referebat,& ceremonias quas mente inceſtaverat, etiam corpore inquinabat. Nos foras rapimur, nec procul a palatii veſtibulo in cataſtâ ſublimes, ridendi malis, deflendi bonis, ferale ſpectaculum exponimur. Ibi inter nequitiæ plauſus, inter gemitus & ſuſpiria piorum inhoneſto vulnere, ferro carnificis laniatas aures, poſuimus lætas exuvias & opima Tyranni ſpolia. Habeat hoc patientiæ noſtræ documentum, quod pares à Deo pœnas machinatori ſceleris non repoſcimus. Sed nimirum graves ſuberant invidioſæque cauſæ cur in fontes tam immani ſupplicio ſæviretur. Objiciebatur certè defenſa Majeſtas regis & impetita Pontificii Juris divinitas:& ne crimini deeſſet complementum, exprobrabatur etiam nimia religio, & ſine nugis ceremoniarum ſincerius culta Divinitas. Hæc nos flagitia raptarum aurium vulnere expiavimus ; nondum ſatiatâ crudelitate. Agimur in longinqua exilia ; & aviis in locis in ſaxoſos ſpecus, fluxas vetuſtate bellicas arces, in-

cludimur, negatis omnibus neceſſitudinum, cognationum, amicitiæ ſolatiis. Ibi dum in egenis corporibus, miſeras animas trahimus, ipſa calamitas irritabat ſævitiæ rabiem: necdum clauſæ ſatis voces, aut oppreſſa rupium molibus libertas videbatur; ſed ut totis circumflui oceani fluctubus intercluderetur deportamur in inſulas. *Garnifea Burtonum* accepit, *Iarſcia Prinnium*, mihi in Caſſiteridum ſaxis quas nunc Sorlingas vocant, tabeſcendũ erat. Imperabat illis *Tho. Baſſetus* claris & antiquis Majoribus, ſed quos probris & ignaviâ dehoneſtaverat. Vir vitâ degener; ſtirpe Achilles, Therſites moribus. Ille ut voluntatem Tyranni ad quam niſi per ſcelera aditus erat grãdi facinore demereretur, me in ſuis antris cruciandum depoſcit & accepit. Devehor per vaſtos fluctus in ſaxa inhoſpita, vacuam cultus & humanitatis inſulam. Ibi ritu feræ detrudor in arcis caveam, triplici portarum obice clauſtrorumque coercitus, ne cœlo quidem & aurâ reliquis, ubi laxarem pectus ſuſpirio. Ibi ignaro rei familiaris & omnium domeſticarum charitatum atri trudebantur dies: interdicto literarum nunciorumque commercio; Ibi tenuatum curis & ægritudine corpus, ſalſamentis alebatur & quiſquiliis piſcium, tantâ littorum mariſque fœcunditate. Ibi cyathum vini per communia humanitatis jura roganti, quo labenti animæ conſulerẽ, tantillum munus per ſuperbiam & crudelitatem negabatur. Ibi aſperrimæ hyemes & duriſſima frigora procul foci ſolatio, quamvis tenui valetudine, ſolo patientiæ robore tolerabantur. Adhuc corporis ærumnas loquor tundentes follim, crudelius in animum, ipſum hominem ſæviebatur.

Quoties

Quoties, ſatellitum quis neceſſitatum miniſter cellam ſubiret, ut ſilentio ingreſſus, ſic taciturnus exibat. Si quis fortè tonſor ſqualorem capiti demeret, durante miniſterii tædio, oculis & vultu, at nulla voce hominem fatebatur: Hoc jubentis heri conſilio, ut inſolentiâ Sermonum & exoleſcente humanitate in illo ſpecu obbruteſcerem. At ipſe ſi fortè per intervalla miſerum alloquio dignaretur, quod totius anni curriculo non fecerat, præfari ſolitus erat ſibi cum religione & cœleſtibus nihil rei eſſe: Quare nolle ut de Deo, ſuperis & æternitate, cæteriſque ſenium fugientibus ſermones miſceantur; ne ſalubrius alimentum animæ ſuggeſſiſſe quam corpori videretur, ſed alterum inediâ, veterno altera attererentur. In tali ſtatu, avulſus ex hominum cœtu, excuſſus ſacrorum cultu, neſcius meorum & illis ignoratus, ſine re, ſine ſpe non dicam vixi triennium, ſed fui: cum interim Tyranno de patientia civium triumphanti ſupra votum cuncta adfluerent; avido commodorum fiſci, bona ſpoliatorum: Sanguinario innocentium pœnæ: Impio religionis injuria. Tandem in nos oculos Deus retulit, & bonis Brittanniæ intentus ad mala noſtra reſpexit, & hunc ſacrato capiti objecit furorem, ut fœdus abrumpere, pacem Scotiæ datam violare, Bellum indicere non timeret. An ego ſine divino numine factum putem, ut qui ſub nomine pacis ludere & priorum ſcelerum pœnas lucrari quieſcendo potuiſſet, ſecundum hoc belli civilis vexillum attolleret? imponeretque laceſſitæ Scotiæ neceſſitatem vincendi? Agebat eum præcipitem ultore Deo vindicanda religio quam temeraverat, & vexata tot injuriis reſpublica

pœnas

pœnas ab eo debitas exigebat. Non id confidentia, ſed amentia; non temeritas erat, ſed neceſſitas, nec ultro laceſſebat ille Scotos Bello; ſed ulterius ſe negare ſupplicio patriæ non poterat. Religionem avorum ſanguine nobilem diffamaverat; pios ex Eccleſiis fugaverat miniſtros; Sacerdotes moribus & doctrinâ pudendos, Sacris præfecerat: cum purpuratis Romæ & Pontifice maximo fœdus & amicitiam inîrat; leges & decreta in Sacerdotum cœtu condiderat infeſta Majeſtati Principis & iniqua obſequiis ſubditorum; Sacramento clerum pariter & laicos adegerat petente jugulum libertatis. Regni leges ſprevera: calcaveratque revulſis Imperii fundamentis. Dominationem & Tyrannidem non obſcurè fuerat molitus. Omnia principi licere, rapere, prædari, in ſubditorum bonis latrocinium exercere autore divina lege, ipſe in Senatu pro Sententia, buccinatores & Tubæ tyrannidis in Eccleſiis, ut ſanctum dogma publicaverant, Magiſtratus, Tribunalia, præfecturas, venum dare, turpiſſimæ nundinationis parartus, Regi autor fuerat ipſe pro rebus judicandis infamis caupo, munera acceperat. Cum tantis à fronte criminibus & odiis urgeretur, vir ignavus & timens, audaciſſimæ gentis arma irritavit quibus a tergo premeretur in caſſes legum & Comitiorum quæ tot ante calumniis apud Regem infamaverat, vel unâ hac impietate reus perduellionis. Mihi ſanè tam repentinam converſionem intuenti religioſus incutitur horror; Deus ecce Deus: Ille Tyranni conſilia cæcavit. Ille animum obtudit, dum nos cunctamur, dum langueſcimus & irritis intra parietes queſtubus communem ſalutem deſerimus, ipſe ſe & vetera flagitia novo ſcelere ulciſcitur; ut

neque

neque præſumere veniam reus, neque ſperare fugam clauſus poſſit, Crucem & culleum & quicquid meritus timens. O altum divinæ providentiæ Secretum! Quam anguſtis honorum malorumque cauſæ confiniis latent! Magnum quidem Regno dedecus, magnum Reipublicæ vulnus impreſſum eſt. Rex & parens populi deceptus & proditus, actus in diſcrimen vitæ, exhauſtum ærarium, fugatus exercitus, tumentes ſuſpicionibus cives, nutantes animi. Si tamen hæc ſola erat ratio quæ comitiis jus ſuum redderet, quæ vos publicæ ſalutis gubernaculis admoveret, prope eſt ut exclamem; tanti fuiſſe. Corrupta eſt diſciplina Sacrorum & temerata religio, ut ope veſtra emendatior ſanciretur. Quaſſatæ leges ut figerentur, attenta libertas ut ſervitus pelleretur. Impoſita nolentibus onera, ut voluntate veſtra æternum abolerentur. Evectus in altum Tyrannus ut gravius rueret. Conſpiratum à peſſimis in exitium Patriæ, ut optimi conjurarent in ſalutem. Inductum peſſimum exemplum ut optimum opponeretur. Ibit hæc res in Annales doctarum noctium curis, & artificum manu tradetur famæ. Pertinet enim ad omnium ſæculorum ſecuritatem, non legi modò hæc facta, ſed videri; ut ſi quis unquam nefaria vota conceperit, viſis his monumentis per oculos hauriat innocentiam. Quiſquis calcare leges & imponere quandoque Civibus Dominum, cogitabit; Cantuarienſis illi legum pœnis obnoxius & tantum timens quantum timebatur, occurrat. Quiſquis in ſanguinem & fortunas Civium Gladiis licentiam & impunitatem dare optabit; Straffordiæ Comitem ſceleris & pœnæ ſocium, ſub ſecuri Carnificis procumbentem aſpiciat. Quiſquis

quis poteſtatem & opes & luxum, res alienas Eccleſiæ ingerere meditabitur, Cantuarienſis illi nudus & exutus ſupervacuis clerus apparear. Externum aliquis ferrum & tranſmarinum hoſtem in viſcera patriæ invocabit, proditores illi extorres & diris ultricibus in fuga comitati obverſentur. Hactenus præterita & funeſta attrectaſſe fas fuerit, & inter communes injurias meminiſſe quoque proprii doloris. Nunc me præſentia & lætiora vocant, tam ea quæ mihi privatim quam quæ genti publicè præſtitiſtis. Quare publica gratiarum actione prælata, pro me quoque & ſuppliciorum Sociis quantum quiſque bonitati & clementiæ veſtræ debeamus, profitebor. Cur enim non pro illis quoque gratias agam, quorum ſicuti nunc ſpes gaudium que ita communis, dolor & metus fuit, Singulos enim noſtrûm illi optimi cujuſque ſpoliator & carnifex, eâdem ſuperbia, iiſdem pœnarum contumeliis in ſaxa & ſolitudines ejecerat, eadem aviditate & immiſericordia ad inopiam & mendicitatem redegerat. At vos primùm hoc mutati ſæculi ſignum voluiſtis, ut publica bonorum omnium voce revocarentur, quos unius lubido omnium peſſimi expuliſſet : ut detractæ innocentibus fortunæ, è bonis nocentium qui nos deglupſerant repararentur ; ut tam pauperes forent qui rapuerant, quam quibus erat ereptum, addita ad beneficii pondus gratia celeritatis ; ut ſol & Dies non parte aliqua, ſed ſtatim totus ; non ſingulatim & per momenta, ſed ſimul omnia, quod cuique ſuum, vitam, libertatem, fortunas reddidiſtis. Manet tamen honor legum ; neque pœna malis remiſſa, ſed ſublatus à bonorum capite malus

Judex.

Judex. Manet æternumque manebit in Civium animis Auguſti noſtri veneratio : id modo proviſum eſt, ne ſub optimo Principe malorum operâ Boni contriſtentur ; nec jam delatores amplius, ſed ipſæ leges timeantur. Ingens hoc meritum ; majus illud quod Cives eſſe vultis quos feciſtis ; devotos Regi, reverentes legum. Ergo pro beneficiis veſtris referre gratiam non poſſumus, niſi tantum illam, ut ea ſentiamus faciamuſque quæ civibus digna ſunt, digna benignitate Principis & temporum ſecuritate : Ita verſemur in Republica ut credamus eſſe rempublicâ : nec alia adverſa, alia ſecunda putemus Principi & nobis. Illius vita cæteris præeat in exemplum, ut cum pro ſuis illi moribus multa, plus tamen pro noſtris debeamus. Illius ſalutem opibus, facultatibus, ingenio, manu, ſanguine aſſeramus : Deum denique obſecremus, ut omnia quæ facit quæque facier, proſperè cedant Ipſi, Reipublicæ, nobis, vel ſi brevius ſit orandum, ut uni Ipſi, in quo reſpublica & nos, ſimus. Cæterùm quia veriſſime judicatur meruerit ne quis beneficium necne, quum adeptus eſt, non negligam redux, & liber quod curavi exul & captivus. Jus & dignitatem Regis contra præſulum audaciam in ſceptri decora & autoritatem involantium integer defendi ; paratus ſpiritum & vitam effundere, ſi tantillo emi poſſit ſecuritas veritatis. Id pro me repromitto ſemperque præſtibo, σὺν θεῷ mihi neque in laboribus diligentiam, neque in periculis animũ, nec in ornandis beneficiis veſtris gratitudinem defuturam, & in tantum me dilecturum optimum, Principem in quantum inviſus fui peſſimo Epiſcoporum.

LECTORI

LECTORI SALUTEM

P. D. *Johannes Baſtwick.*

TILE eſt, *inquit Auguſtinus De Trin. L. 1. cap. 3. & cap. 13.* plures à pluribus fieri libros de quæſtionibus iiſdem, diverſo ſtylo, non diversâ fide; Quandoquidem tanto fortius convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. *Hoc tanti patris effatū excitavit animum meum ut pro tenuitate mearum virium & Papæ Tyrannidem & Papiſticæ ſuperſtitionis impietatem profligandam ſuſciperem. Verumtamen de Epiſcoporum autoritate locutus, à bonis bene intelligi cupio. Non enim illis litem moveo, quatenus ab Imperatoribus & Regibus & Principibus Terræ quorum intereſt ſalutem Civium tueri, Poteſtatem jus & imperium in ſocios totumque Dei gregem adepti ſunt. Nam ſi Romani Epiſcopi immenſam illam & nullis limitibus circumſcriptam autoritatem, indulgentiæ Principum acceptam ferrent, voluntati Epiſcopali, nihil, voluntati divinæ inimicum*

jubenti

jubenti obtemperandum putem, ob reverentiam principi ſic volenti debitam: quamvis haud parum moleſta ſit illa cogitatio, quo jure ſemet Epiſcopi ſubduxerint à Chriſti monito: Non ita erit inter vos; *nec retardarer ab obſequio, quamvis æquabilior Eccleſiæ conditio & quæ Dei legem ſtatutis hominum præfert, precibus & votis procuranda ſit. Verum cum eò ſuperbiæ & arrogantiæ faſtus Epiſcoporum Romanenſium eruperit, ut ambitioni ſuæ jus divinum, ſpreta Principum autoritate, prætendant, illiuſque obtentu, crudeliter & avarè in Dei Eccleſiam dominentur, operæ pretium mihi videbatur, Tabulas omnes, & inſtrumenta omnia diviſa, in quibus de jure illo pertractatur, diligentius excutere; In quibus omnibus cum ne tenuiſſimum quidem occurrat veſtigium illius autoritatis quam Thraſonica ἀλαζονείᾳ venditant, qua decretorum ſarcinas, Canonum faſces, cæremoniarum inextricabiles nodos colligant; qua ſuperſtitionem excludunt; impietatem fovent; bonos excruciant; extollunt malos: omni quoque virium mearum anniſu increpandam explodendamque impudentiſſimæ uſurpationis audaciam putavi. Quem conatum, vel ignoſcendo, vel favendo adjuva, & vale.*

VIRO ERVDITISSIMO D. D. EG. S. P. D. IOANNES BASTWICK.

QUI casus nuperæ dissertationi nostræ, cum de Romano Pontifice & immensa illius authoritate ageremus, occasionem dedit, idem & huic Epistolæ viam aperuit: Nam cum tu Papali usurpationi jus divinum prætendi diceres, & ego ne quidem umbram rationis illam niti Tyrannidem affirmarem, meminisse te puto quod me rogaueris, ut ea quæ latius & copiosius contra disputaveram, succincta quadam, hoc est, epistolari tibi forma mitterem, ut velut uno sub intuitu tota argumentotum acies exponeretur. Parui non invitus: Magis ut tibi sic jubenti obtemperarem, quam quod meis præcipuè viribus & hastis monstrum illud confossum iri putarem. Obtemperavi autem eo lubentius quod animum meum à rixandi libidine alienum, indagandæ veritatis studio totum occupari animadverterem, cujus tam sancta apud me majestas est, ut liber aliàs & in nullius verba juratus, huic uni me mancipio addixerim.

Sed id tamen in vestibulo te rogatum velim, ne de robore veritatis in hoc negotio judices ex imbecillitate patroni: sæpe enim inexercitatior advocatus causam optimam agendo pessimam facit. Cæterum si quid hic Scripturæ (cujus arbitrio tantum in hac lite ego standum puto) non satis consentaneum offenderis; illud expunge: si quid

à sacris

à ſacris literis per errorem & inſcitiam (omnes enim in hac humana caligine Tenebriones ſumus) alienum deprehenderis, emenda & corrige, certò perſuaſus neminem diſcendi & referendæ docenti gratiæ memet avidiorem eſſe. Quæſtiones igitur in hac re capitales illæ ſunt. *Num Chriſtus Petrum conſtituerit Eccleſiæ Catholicæ Monarcham : Imo num Petrus Romæ functus Epiſcopatu fuerit ? Num Pontifex Romanus, (ſi ſit Epiſcopus) quatenus Epiſcopus Romanus, autoritatem & juriſdictionem in ſocios & Dei gregem habeat, necne ? Num Epiſcopi Papales veri ſint Epiſcopi.*

Et de his quidem quæſtionibus affirmatis à te, à me verò negatis omne certamen cernitur, cujus haud alium eventum votis exopto quam ut exarmata vi veritatis opinionum pertinacia victus illi manus porrigas, à qua niſi vincimur periit ſpes triumphi, verum ut ordo poſtulat, poſitionem tuam primam primò aggrediar, hoc uſus argumento.

Quod Chriſtus ipſe familiæ ſuæ Dominus ſervis ſuis diſtinctè prohibuit, id ab illis ſine nefario facinore fieri non poteſt.

Sed dominationem in ſocios & Dei gregem exercere ſervis ſuis in munere hoc cæleſti occupatis interdixit. Ergo & illicita eſt paſtoribus ejuſcemodi dominatio, & à Chriſto non mandata nec inſtituta fuit talis Monarchia.

Cujus Syllogiſmi minor propoſitio plurimis ſacri oraculi locis ſtabilitur. Matth. 20. v. 25. 26. Marc. 10. v. 43. 44. Luc. 22. v. 25. 26. omnibus enim illis in locis Chriſtus in hoc totus eſt, ut ægras ambitione mentes Apoſtolorum, à ſtudio magnificentiæ

magnificentiæ & autoritatis, (quod in civili regimine dum ultra modum non aſſurgit, laudi & ornamento eſt) ad humilitatem & modeſtiam revocet. Increpando enim ſuperbiã illorum & ambitũ quibus exarſerant, opportune docet eos incũberein ſtudia quæ vocationem eorum & munus dedecerant, oſtenditque quanto inter ſe intervallo diſtent regendæ Civitatis poteſtas, & paſcendæ Eccleſiæ Cura; quantaque ſit cùm in ipſorum officiorum & regiminum natura, tum in honorum titulis & formulis dignitatum hinc & illinc differentia. *Principes gentium dominantur illis*, inquit, *& Reges exercent autoritatem in illas: Sed non ita erit inter vos.* E quibus Domini verbis quibus oblitos modeſtiæ famulos ad officium revocat, ita rurſus argumentari non abſurdum fuerit.

Illud quo Magiſtratus Civilis ab Eccleſiaſtico miniſterio diſtinguitur, id illicitum & indecorum eſt Miniſtro & Paſtori gregis Dei.

At Magiſtratus Civilis diſtinguitur ab Eccleſiaſtico miniſterio, exercitatione poteſtatis & titulis honorum;

Ergo Miniſter Eccleſiæ nec dominationem exercere, nec formulis dignitatum ſupra ſocios eminere debet; Quam doctrinam ut penitius inhiberent, non verbis modo, ſed factis eam Salvator aſſeruit, demiſſus ad ultimum obſequium, ut ejus humilitatis ſpectaculo moniti, vel ad cogitationem ſolam ſe ſupra ſocios efferentem erubeſcerent.

Sed reſpondent Papiſtæ malitioſi ſæpe & callidi ſacræ Scripturæ Interpretes, *ſolam hîc tyrannidem, non legitimam dominationem à Chriſto prohiberi.* Quæ diſtinctio neque ſcriptura nititur (niti autem debet ſi nolit explodi) & Apoſtolicæ doctrinæ perduellis

perduellis eſt. Sed ad rem ipſam. Chriſtus reſpondens Apoſtolis jam appetitu quodam ſuperioritatis intumeſcentibus, apud homines ſanos putandus eſt reſpondiſſe ad rem præſentem, ad quæſtionem tum agitatam, & ad id quod ipſi votis tendebant fovebantque; votum autem illorum erat non proſternere ſocios & proculcare tyrannide, (quis enim tam horrificam impietatem affingat viris bonis?) Sed legitimam, ut autumabant, adipiſci poteſtatem & dominationem, qua decorati & inſigniti cú dignitate quadam cæteris prælucerent. Ergo non tyrannidem, quam nec ipſi ſomniabant, Chriſtus vetat, ſed civilis tamen regiminis habitum & formam in quam ambitu & æmulatione accendebantur, ut indecoram illis & illicitam rejicit.

Quod quanquam ſua luce pateat, age fœneremur nihilominus illi nonnihil claritatis è ſplendore argumentorum.

Superioritas & Dominatio in quam Apoſtoli ferebantur eadem erat cum illa quam Reges & Principes Gentium exercebant, quæ à tyrannide plerumque longius abeſt: at abeſſe ſemper debet longiſſime, nec tyrannidem igitur affectabant Apoſtoli. Quod ex ipſa voce κυριεύειν qua Chriſtus Luc. 22. v. 25. 26. utitur manifeſtum eſt, cui Synonyma eſt vox κατακυριεύειν, qua Matthæus & Marcus eandem Chriſti ſententiam exprimunt. Nam niſi pugnantes inter ſe committere lubeat Evangeliſtas, utriuſque vocis eadem ſignificatio erit, ſi animadverterimus legitimum Adami imperium quo in creaturas integer adhuc intaminatus fruebatur, ab interpretibus Græcis exprimi voce κατακυριεύειν. 1. Gen. v. 28.

ſicut

ſicut vocabulo κυριεύειν Chriſti poteſtas Pſal. 110. quæ procul omni Tyrannide eſt, ab iiſdem interpretibus indigitatur. Adde quod illa voce moderatum & paternum ſæpiusoptimorum Principum imperium ſignificatur, qui aucta republica, σωτῆρες καὶ εὐεργέται ob merita & beneficia à gratis civibus denominantur.

Igitur cum Chriſtus Apoſtolos ſuos jubet μὴ κυριεύειν, non vetat exercere tyrannidem, neque de civili regimine iniquius judicat, ſed differentiam inter mundanum Imperium, & Eccleſiæ regimen, quod ipſi mundanis effulſurum honoribus falſo putabant, oſtendit. Mundani Principes, inquit, abſoluta autoritate addictiſſime imperant, in rebus vulgo notis & ad ſingulorum utilitatem tendentibus, & εὐεργέται appellantur, quod vocabulum ut ex Ulpiani ſcholiis ad præclaram illam Demoſthenis orationem de Corona liquet, Principum regimini, qui ſuo nutu & arbitrio cuncta regunt, proprium erat, ut illo velut cognomento à populari Athenienſium Civitate diſtinguerentur, ubi ſuffragiis populi ſumma rerum tractabatur: At vos Eccleſiæ imponendi Rectores cum in negotiis ab intellectu humano remotis & ſupra mortales affectus exſurgentibus occupemini, non abſolutâ imperandi jubendique poteſtate dominantium ritus, ſed docendo, rogando, ſupplicando nutritiorum potius mores & patientiam æmulari debetis. Hæc Chriſti mens, hic loci ſenſus eſt, quem aliena & perabſurda explicatione homines veſtri interpolarunt.

Sed ſupereſt aliud argumentum quo commentum hoc exigitur. *Illa dominatio quæ dimanare à Chriſto*

Chriſto & regi, ab Apoſtolis autem ut ſubordinatis Miniſtris exerceri debuit, tyrannica non eſt ; nam hoc eſſet ipſi Chriſto tyrannidem impingere.

At poteſtas cui filii Zebedei inhiabant à Chriſto prænatura & regenda erat : ergo tyrannica non eſt. Nec enim aliud illis in voto erat quam Chriſto Regnum ſuum in hoc mundo (ut rebantur) auſpicanti dextra & ſiniſtra aſſidere, hoc eſt, in partibus reipublicæ ſibi credendis dignitate & honore cæteros cives præcellere quidē, ſed Domino tamen & Regi ſuo debita fide & obſequio ſubjici. Quam præcellentiam cùm Chriſtus iis negaverit, conſequens eſt eandem cæteris omnibus in idem munus aſcitis & aſciſcendis negatam fuiſſe, Papamque, qui non obſtante cœlefti interdicto, cā per fas & nefas arripuit Chriſto rebellē eſſe & gravē, imo injuriū ſociis eſſe.

Veruntamen hoc in loco ſi concedamus ſolam tyrannidem prohiberi, quid inde Papali cauſæ commodi accedet ? cum nihil in Philoſophorum placitis de Tyranni moribus adumbratum ſit diſputando quod non vivendo Papæ & gubernando veris tanquam coloribus expreſſerint. Sed in hoc argumento, quia brevitati ſtudendum eſt, non evagabor licentius. Sane definitionem Ariſtotelis in libris Politicorum : Eum ſcilicet *Tyrannum eſſe qui cuncta ad ſuam, non ad ſubditorum utilitatem trahit*, ſi Papæ non convenire putaveris, credam & aliquando tibi videri poſſe non lucere meridie.

Et quanquam hæc quæſtio ventilata ſatis videri poſſit, tamen ob importunitatem altercandi quâ homines veſtri velati morbo laborant, diutius hic immorari eſt animus : præſertim quia ex Divi Lucæ verbis quæ Pontificis Primatum & Monarchiam

chiam Petri refellunt, ſententiæ ſuæ patrocinium quæſiverunt. Locus eſt 22. cap. v. 26. Evangeli ſecundum Lucam. *Qui maximus eſt inter vos, eſt ſicut minimus : & qui Ductor vel Dux eſt, ſicut qu miniſtrat.* Quæ verba in Græca veritate ſic habent ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος καὶ ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν. Unde jam triumphant, *repertum ſibi Ducem & Monarcham quem ipſe Dominus dixerit.* Sed antequam obturamus os impudentiæ, videamus quibus tandem verbis rem eandem cæteri narrent Evangeliſtæ. Matthæus cap. 20. v. 26. ait. *Non ita erit inter vos, ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter, & quicunque voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter Servus.* Marcus inquit. *Verum non ita erit inter vos, ſed quicunque voluerit fieri magnus inter vos, ſit Miniſter veſter, & quicunque ex vobis voluerit primus eſſe, ſit omnium ſervus.* Nam cum eodem ſpiritu dictante ſinguli ſcripſerint, eadem utrobique res eſt, verbis hîc illic aliter ſonantibus. Nam ubi Lucas ait, *Qui maximus eſt inter vos*, idem cum illo intelligit qui dicit, *Quicunque voluerit inter vos maximus eſſe.* Sic ubi dicit, *Qui Ductor eſt*, ὁ ἡγούμενος idem cum illo dicit qui ſic effatur, *Quicunque voluerit primus fieri.* Sed ex hiſce verbis quomodo tandem exculpitur ille Princeps & Monarcha quem jactitant ? Sane nemini mortalium, cui ſinciput ſanum eſt, dubium videri poterit, neminem hîc unum & ſingularem hominem à *Chriſto Ducem, Principem, vel Monarcham conſtitui*, vox enimvero ἡγούμενος non ad unum aliquem certum hominem, ſed indefinitè poſita ad quemlibet refertur: Sicut apud eundem D. Lucam cap 9. v. 48. ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν οὗτος ἔσται, non particulatim

latim & nominatim de ſubmiſſo quodam & ad infima n humilitatem procumbente diſcipulo dicitur, ſed indefinitè & generaliter de quovis ad humilem ſui opinionem deſcenſuro prædicatur : ſic & hoc in loco ὁ νεώτερος & ὁ διάκονῶν, non unam certam individuam perſonam, ſed indefinitiam, & quamlibet ſignificat. Ipſa quippe inſita noſtris ingeniis ratio ſuâ luce vincit, non hæc uni particulatim Apoſtolo, ſed omnibus viritim applicari : omnes enim & ſinguli illo ſtatu erant, ut hæc ſingulis rite medicina applicaretur.

Quanquam enim reliqui Apoſtoli duorum fratrum Matth. 20. v. 24. ambitionem indignanter & moleſtè tulerint, non tamen ſatis cauſæ fuit illis in Fratres plus æquo iraſcendi, ubi in ſemetipſos deſcenderent, quos eadem contagio ambitionis afflaverat. Luc. 22. v. 24. At male habebat eos quod fratres illi tanquam captis ſeorſim conſiliis, clam & ſecretò prenſabāt dominatum, ad quem ipſi non minoribus ſtudiis quàm fratres aſpirabant. Quare, non ad hunc aut illum particulatim, ſed ad omnes promiſcuè verba referenda ſunt. Quod ipſum clarius elucet intelligenti hæc verba à Chriſto prolata, fuiſſe cū adhuc neſciretur ullam inter Apoſtolos qui pares ſemper fuerant, ſuperioritatem eſſe: nam quia nunc ſingulis intumerat animus ad Primatū, eruperat contentio quā conſiliis humilitatis Chriſtus cōpeſcuit. Quæ veritas cū ipſa incurrat in oculos, vide quantis abſurditatum plauſtris ipſi vos oneretis commentum veſtrum. Sequitur enim :

Aut omnes Apoſtolos fuiſſe Monarchas conſtitutos à Domino, vel certè nullum. Nec hoc modo, ſed & illud :

In hunc usque diem quere non posse quis Apostolorum fuerit constitutus Monarcha.

Imo quod causæ vestræ perniciosissimum est. *Petrum minimè omnium fuisse constitutum in Principatu* Ac singulas videamus, primam quidem primò.

Igitur si verba hæc, *Qui Maximus est & qui Dux est inter vos.* ut vobis placet, id necessariò inferunt, Principem à Christo constitui, sequitur ex iis verbis quæ tam omnibus universim quã alicui particulatim applicari possunt, aut omnes à Christo Principes & Monarchas Ecclesiæ, vel sanè nemin ẽ eorũ fuisse constitutos. Quorũ utrũque sententiæ vestræ inevitabili absurditate vastitatẽ inducit. Sed Antecedentis veritas, utpote ab ipsis Evangelistis firmata immobilis est. *Nam orta est*, inquiunt, *inter illos controversia quis illorum esset maximus.* Omnes igitur *magni, clari, potentes* esse, hoc est, principatum gerere ambiebant. Consequens igitur & veritatis ejusdem & necessitatis est, aut omnes à Christo fuisse constitutos in Ecclesia principes, aut nulli Apostolorum id dignitatis fuisse collatum. Cujus opinionis utramvis partem amplectamini, sententia vestra tamen in luto hæret crassissimarũ absurditatũ.

Jam secundam intueamur. Si hæc verba ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γὶ ὁ ἡγούμενος id significent, Constitutum fuisse à Christo in Ecclesia Principem, non expresso neque nominato singulari quopiam cui principatus debeatur, adeo ut singuli, Jacobus quippe, vel Johannes, vel Matthæus &c. suo sibi ture arrogare possint concessam dominationem, tum sequitur Ecclesiam Romanam tot jam seculis involutam fuisse mirabili errore, & quidem in re tam capitali & cognitu necessaria ut sine periculo salutis

ſalutis nequeat ignorari. Sed Antecedens indubiæ veritatis eſt. Nullius enim Apoſtolorum expreſſo nomine quilibet eorum promiſcue intelligendus eſt: Nec enim Johannes vel Jacobus vel alius quiſquam à principatu excluditur; nec ullum Petro præcipuum jus eſt arrogandæ ſibi dominationis, ad quam nullo præ cæteris titulo vocatur.

Succedit tertia, quæ non tam pudenda quàm exitioſa eſt Romanæ tyrannidi. *Qui maximus eſt inter vos*, inquit Salvator, *minimus, & qui Ductor eſt ſit ſervus.*

At Petrus, inquiunt veſtri, *magnus erat ille Ductor & Princeps, Eccleſiæ Primas, & Coryphæus Apoſtolorum.* Erat igitur Petrus, ſi nos Chriſto credimus, ſi Petrus paruit Chriſto, & ſervus aliorũ & humiliũ minimus. In qua demiſſæ mẽtis ſobrietate cõſtitutus, nec Dux, nec Princeps, nec Monarcha, qualem vos fingitis, efformari poteſt. Quæ cuncta cum ſuis ipſa radiis verberent animos, ſupervacuum eſt luci tam claræ verborum fumo tenebras offundere.

Et hæc quidem nimia videri poſſent, niſi cardo religionis veſtræ in hujus momento quæſtionis verteretur. Neque temporis ergo neque orationis fuerit diſpendium, ſi in profligandis hiſce quiſquiliis uberiori diſputatione utamur. Non enim autoritati divinæ tantùm contraria eſt veſtra aſſertio, ſed injuriarum & contumeliæ plena in ipſum Chriſtum, qui ſane Petrum, ſicut ante oſtendi, Eccleſiæ Monarcham non impoſuit omni illo tempore quo verſabatur in cœtu Apoſtolorum, quos ad humilitatem & obſequium vetita omni dominatione, verbis & exemplo erudiebat.

Supereſt diſpiciamus quid in hac re dixerit

feceritve cum coram Pilato veluti turbàs & nova molitus, ſiſteretur, Regnique ſui naturam exponeret. *Tunc es*, inquit Pilatus, *Rex Iudæorum*? Jeſus reſpondit. *Regnum meum non eſt ex hoc mundo*. Nec enim negat ſe Regem eſſe; ſed Regni non momentanei, & quod in hoc mundo colligitur. Unde non ambigue ſequitur in terris Chriſti vicarium eſſe non poſſe, cum in terris regnum abnuerit, repudiaverit, negaverit Cœlorum Princeps. Inde cum mandata dat Apoſtolis, nulla illic poteſtatis autoritatiſve vel præeminentiæ mentio eſt; Sed diligentiæ, induſtriæ, laboris; *Ite*, inquit, *& prædicate in omnem mundum &c.* Atqui ſi regnum in terris, ſi mundi imperium ſua intereſſe putâſſet, in illo certe temporis articulo in tanta teſtium corona, in luce & oculis hominum jus illi ſuum aſſerendum fuiſſet. Sed ille nihil in mundum ſibi vendicans, alterius naturæ locique regnum ſuum profitetur. Quæ vos ergo dementat væcordia, qui vicarium in regno ſtatuitis cujus ſe Chriſtus Regem negat?

Sed hæc ante Chriſti mortem ſic ſe habent: videndum eſt num redivivus poſt triumphatos Mortem, Diabolum, Inferos, principali & Monarchica poteſtate Petrum inſigniverit: hoc enim quaſi plus gloriæ allaturum vehementer vultis. Conſulamus ergo reſurgentis mandata. Matth. 28. v. 19. *Profecti*, inquit, *docete omnes gentes, &c. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, &c.* Nullum hic Monarchiæ veſtigium; Ariſtocratici regiminis & ſociatæ in Eccleſia adminiſtrationis præceptum & lex eſt Omnes ite, ſinguli incumbite in ſanctum & profecturum proximis laborem, utpote participes futuri

futuri ſpiritus ejuſdem cujus efficacia vim ſuam in omnibus exſeret. Nihil ſpeciatim Petro, nihil cuivis alteri neque præcipitur neque promittitur: pares labore, præmio non diſpares, omnes unius heri famuli rem communem procurate.

Jam vero apud Johannem apertè Ariſtocraticum regimen inculcat cap. 20. v. 22. 23. *Sicut miſit me pater*, inquit Chriſtus, *ſic ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum: ſi quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.* Partes laboris eædem ſingulis, par poteſtas, claves eædem, Spiritus idem imponitur. Monarchiæ nulla hic umbra: Ariſtocratiæ expreſſa imago eſt. Quo divi Johannis teſtimonio quanquam impudentia veſtra ſatis coarguatur, ſtatui tamen alia nonnulla producere quibus intercludatur ſpiritus audaciæ vociferantis Ariſtocraticum regimen in Primitiva Eccleſia neque fuiſſe, neque ullis rationum coloribus poſſe probari.

Audiamus igitur quid in hac quæſtione Divus Paulus definiat, 1 Cor. 12. v. 28 *Et alios quidem conſtituit Deus in Eccleſia*, inquit, *primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, &c.* Nonne vivis hic coloribus deſcripta eſt Ariſtocratiæ facies? Num Petrus hic Princeps? Num quis alius in faſtigio dominationis collocatur? Nonne promiſcuus honor ſingulis? Nonne par omnibus poteſtas?

Jam ad Epheſios quam clarè, quam diſertè idem ediſſerit? Cap. 4. v. 11. 12. *Dedit igitur ipſe alios quidem Apoſtolos*, ait, *alios verò Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad congregationem Sanctorum, &c.* functiones, munera, miniſteria ſingula recenſet quæ requiruntur ad

ſtruendam regendamque ædem Dei ; Sed nemini ſuper cæteros regimen, nemini principatus aut dominatio tribuitur. Ariſtocraticum igitur in Eccleſia Primitiva regimen fuit, & plurium conſiliis laboribuſque ſociata & exſerta poteſtas.

Quid ad hæc reſpondet tua ſubtilitas? Apoſtolos quidē labore curaque pares, ſed autoritate & dignitate impares fuiſſe. *Soli quippe Petro datas claves cœlorū.* Vafrū oppidò commentū & futile. Nam quod cap. 16. Matth. legitur numero ſingulari, *Quicquid ligaveris.* Id cap. 18. per pluralem redditur, *Quicquid ligaveritis*, & ſane Joh. 20 ſenſus idem verbis aliis exprimitur. *Sicut me miſit Pater, ſic ego mitto vos &c. quorum remiſeritis peccata, remittentur iis &c.* Cum ergo Scriptura paritatem & æqualitatem Apoſtolorum tam diſerte exprimat, quis vobis fidem habeat per artes & dolos imparitatem eorum fabricantibus ? Quæ enim eſt illa paritas ubi alter regendo & dominando ad faſtigium aſſurgit, alter parendo & obſequendo ad humilitatem ſubſidit ?

Quare cum in hoc loco nihil munimenti vidiſſes, alium quæris cui inſiſtas. Joh. 21. v. 15. 16. 17. Vbi Chriſtus inquit Petro, *Simon fili Ionæ, diligis me pluſquam hi ? Dicit ei, etiam Domine ; dicit ei, paſce agnos meos. v. 16. Dicit ei rurſum ſecundò, Simon Ionæ diligis me? ait illi, etiam Domine ; dicit ei, paſce oves meas ; v. 17. Dicit ei tertiò, Simon Ionæ, amas me ? &c. Dixitque ei, tu nôſti quòd amem te, dicit ei Ieſus, paſce oves meas.* Unde non intrepidè concludis totum ovile ſolius Petri curæ commiſſum fuiſſe : illum ſolum eſſe gregis *Ducem, Principem*

cipem, Dominum. Cui fundamento cum Petri Primatum & Papæ tyrannidem ſuperſtruatis, operæ pretium eſt diligentiori apparatu inſanas molitiones veſtras convellere. Redeamus ergo ad locum ejuſque ſenſum rimemur. Lapſus erat Petrus: Dominum abnegaverat: Præceps iverat in exitium, niſi retractus à Domino Quare ne vel ipſe vel alii de munere Apoſtolico poſt pœnitentiã reddito dubitarent, trinæ negationi trina erat opponenda confeſſio, cui trina muneris Apoſtolici adhærebat confirmatio.

Quare paſcendi voce non ſignificatur ulla res alia præter eam qua in docendis & erudiendis ad ſalutem hominibus Petrus utebatur. Jubet enim Chriſtus ut denuo capeſſet munus Apoſtolicum, animaſque paſcat divinæ veritatis pabulo, quanquam temeraria & præcipiti illa abnegatione indignum ſe reddidiſſet tam honorato docendi munere. Nihil hîc de regimine, nihil de autoritate audimus, nihil quod illi ſupra cæteros vel dignitatem vel autoritatem imponat, nihil denique quod cæteris Apoſtolorum non conveniat. Omnibus enim & ſingulis hoc muneris imponitur. Matth. 28. v. 19. *Profecti ergo docete omnes gentes, &c.* Judæos, Gentiles, oves, agnos, olim doctos & paſtos; recens docendos paſcendoſque. Sic Marc. 16. v. 15. *Profecti in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Diœceſis immenſa & ſingulis Apoſtolorum commendata: extra quam ſi Petro peculiarem poteſtatem exambitis, næ in utopiam illam amovetis. Hujus diœceſeos incolæ, hujus piſcui oviculæ non uni Petro docendi paſcendive, ſed ſingulis Apoſtolis committuntur.

Nulla hic Petro præ cæteris cura, nulla ſollicitudo, neque dignitas, neque autoritas, neque dominatio.

Sed audio te non vulgarem Grammaticum de voce litigantem, & ex ea regimen & principatum & dominium exculpentem: Nam apud Græcos, inquis, vox ποιμάινειν non nudum paſtoris officium, ſed regiam inſuper poteſtatem ſignificat. Euge, præclarè. Quid tandem? Si vox paſcendi ab officio agreſti per Metaphoram ad regale munus transferatur, num proinde Petrum in Eccleſia Regem facies? Nonne meminiſti factum & munus regium à Domino vetari Apoſtolis. Matth. 20. *Vos autem non ita, &c.*? An excidit tibi Divi Petri interminatio idem vetantis, quamvis eadem voce utentis? 1 Epiſt. cap. 5. ver. 2. 3. Non igitur Principatus ſed miniſterium hac voce intelligitur; erant enim Apoſtoli non Chriſti tantum, ſed Eccleſiarum Miniſtri. Sic enim Divus Paulus. 2. Cor. 4. 5. *Non nos prædicamus, ſed Chriſtum ipſum Dominum: nos autem Servos veſtros propter Ieſum.* Quare non te quidem, ſed ſanum decuerit Dialecticum ita concludere. *Petrus jubetur paſcere, vetatur ergo dominari.* Atqui in hoc paſcendi munere tam longè à Dominis fuere, ut vix in rationem miniſtrorum à Divo Paulo admittantur, qui fere illos nihil facit. 1 Cor. 3. 7. *Neque enim is qui plantat eſt aliquid, neque is qui rigat.* Jam plantandi & rigandi in hoc negotio eadem quæ paſcendi metaphora eſt. Sed hæ non dominationes, ſed famulitii partes ſunt: in paſcendo igitur non aliæ quam Miniſtrorum fuerunt; utpote gregis dominio & regimine ad unum Chriſtum pertinente: hinc eſt quod eodem loco Petrus ſueta ſua moderatione

ratione non Principem ſe aut Dominum aliorum, ſed ineadē opera in ſudantiū συμπρεσβύτερον vocat.

Verùm ſi tanta majeſtas & authoritas turget in voce ποιμαίνειν, cur Divus Paulus Actor. 20. 28. jubet Eccleſiæ Presbyteros ποιμαίνειν; Num & illos ad dominationem impellit? Num πολυκοιρανίαν agitat? Num æmulos Petro excitat? Quid ais? Imo, inquis, ſumma Petro poteſtas in oves data eſt hoc mandato, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. His enim verbis ſuprema autoritas ei delegatur. Quid audio? Apud vos nihil non in Petro ſummum eſt. Si paſcendas oves accipit, *Iam ſummus Rex eſt.* Si claves, *Iam ſupremus Imperator.* Nobis hæc ſanè qua ſumus ingenii hebetudine non perſuadentur. Nihil enim Petro eximium, nihil ſupra cæteros collatum animadvertimus.

Num ut Miniſtri qui voce & præconio ſuo promulgant Evangelium Paſtores vocantur; ita munus illorum & labor & Cura, paſcendi vocabulo denotantur. Paſtorem vero non unum, ſed longe plurimos Chriſtus inſtituit, ut famam ſui & ſalutem in omnes mundi partes diſpergeret. Etſi enim paſtor propriè dicitur qui peculiarem & induſtriæ ſuæ creditum gregem paſcit, uſus tamen invaluit, ut communi nomine illo indigitetur quicunque quocunque in loco promulgandæ Chriſtianæ veritati operam impendit. Quare paſcere juſſus eſt Petrus non nova aut peculiari aut cæteros ſupereminente ratione, ſed eadem illa qua cæteri ad munus idem obligabantur. Nulla ergo Papalis illi poteſtas commendatur, ſed ad induſtriam, diligentiam, fidem excitatur, quæ in tanti muneris gravitate non ab ipſo tantùm, ſed cæteris idem

operaturis requirebantur.

Sed tu identidem in Grammaticæ tuæ ſpineta confugis : & mira blateras de articuli efficacia & vi pronominis. Paſce τὰ πρόβατά μου : Hoc eſt, oves omnes, *Eccleſiam univerſam rege.* Eſto *Rex, Princeps, Imperator* καθολικὸς &c. Hoc urges, hoc premis, hoc tueris mordicus: invitaque tota natura quæ tibi reclamat & convitium facit, occalleſcis in pertinacia, cui tamen defenſionem prætendis è ſimili locutione quam pervulgatam dicis ; Si quis enim voluntatem ultimam, inquis ita nuncupaverit. *Relinquo bona mea filiis meis : nihil ex ſuis bonis, nullumque ex liberis ſuis excluſiſſe putandus eſt.* Non pigebit ad ſingula reſpondere.

Nobis ſane nondum revelata fuerunt illa arcana Grammaticæ quæ tu prodis. Quis enim inter ſanos vel fando audivit, tantam articuli præeuntis vel ſubſequentis pronominis efficaciam eſſe, ut inſtar notæ univerſalis haberi debeant? Hactenus enim illorum officium omne vel in re demonſtranda, vel ἐμφατικῶς augenda, vel diſcernenda ab aliis, in ornanda denique & illuſtranda oratione verſari credimus. Trepidamus enim nondum edocti ad veſtram impudentiam ita concludere. *Præit articulus, & ſequitur pronomen, ergo univerſalis propoſitio eſt.* Flagitium enim in Dialectica eſt, ut patet in exemplis appoſitis. Rom. 11 *Prophetas tuos occiderunt.* Τὸς προφήτας σου : non tamen omnes, quamplures enim evaſere impiorum tela. Rom. 10. *Inventus ſum à non quærentibus me* ; haudquaquam omnibus. Actor. primo. *Prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt :* &

tamen

tamen haud pauci cœleſtium ſomniorum expertes. Lucæ primo. *Detraxit potentes à thronis, & extulit humiles, famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes.* Multi tamen Potentium in excelſo, nec pauci humilium cum ſordibus conflictantur. Sed deſino & otio & exemplis abuti quæ ſexcenta ſunt.

Relictis ergo puerilibus argutiis & inſulſis Grammaticæ tuæ nugis; cogita quam irrita Dialectica proruperis ad diſputandum, qui propoſitiones indefinitas temerè confundis cum univerſalibus: Monitus tamen, ſi vel à limine ſalutâſti diſciplinam bene diſſerendi illas ex circumſtantia & pro ſubjecti ratione dijudicandas eſſe. Si quis Paterfamilias Dives gregis paſtores ad diligentiam monendo exhortatus inter alios unum cæteris forte negligentiorem accuratius excitet ad Curam muneris, ſæpiuſque ingeminet, *Paſce oves meas*, num propterea ſecors ille gregis univerſi *cuſtos & Paſtorum Princeps & Dominus* habendus erit? Sane Petri mentem & memoriam acriter aggreditur Chriſtus, ut animo teneret non ſuas, ſed Chriſti oves eſſe, quæ paſcendæ ipſi tam diligenter concredebantur. Hinc ait, *Paſce oves meas.*

Quare verbis illis non univerſalis ovium collectio, ſed qualitas eorum exprimitur, qui verbi divini pabulo ad ſalutem paſcendi erant. Eſt enim articulus hoc in loco, contra quàm tu putas, διακρίτικὸν. Certe Petrus ipſe 1 Epiſt. cap. 5. v. 2. ſingulis ita presbyteris præcipit ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, quod ſane nihil aliud ſignificat quàm τὰ πρόβατα τοῦ θεοῦ, ipſo Bellarmino non rudi Sophita Judice, qui τὰ πρόβατά μου idem ſignificare

ſignificare contendit quod ovile meum : Unde manifeſtum eſt poſſe Chriſti oves dici non univerſaliter. Cæterùm Apoſtolis omnibus & ſingulis Matth. 28. mandatur, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη : unde ſi nos præpoſtera ſubeat libido ſic argumentandi, *Chriſtiani ſunt alicujus Gentis, ergo Chriſtiani omnes, nomine dempto, à ſingulis Apoſtolis erudiendi ſunt:* quis ſanus non explodat tam fœdam ſophiſticen ? Sic enim ſingulis Apoſtolis cæteri Apoſtoli, imo Petrus ipſe cum hujus vel illius Gentis ferent indigenæ, in diſciplinam tradendi fuiſſent. Quod ſi verò hæc verba exceptionem admittant, qua ipſi Apoſtoli generali gentium nomine eximuntur ; cur alibi non indulgeas, ovium nomine Apoſtolos Petri in ſacro labore ſocios non comprehendi ?

Sed prodeat nunc alia tua, qua priorem illuſtras, locutio. *Relinquo bona mea filiis meis.* Non vides vir acutiſſime magnam illa locutione ſententiæ tuæ labem inferri ? Non enim illa mens patris eſt, ut omnes filii omnia defuncti bona cernant. Hoc enim quî poteſt ? Sed ut in herciſcunda hæreditate, ſuam quiſque bonorum portionem ſortiatur. Sic Chriſtus oves ſuas Apoſtolis legavit, non omnes uni, nec omnibus, ſed ſingulis eorum quaſdam, prout cuique locus & paſcendi ſtatio contigerint. Geminum igitur in hoc argumento deliras errorem. Primũ quidem παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, cum ex articulo & pronomine propoſitionem extundis univerſalem. Secundum παρὰ τὸ ἐπόμενον, cum ita non perperam modo, ſed ſtolide concludis. *Petrus juſſus eſt oves paſcere ; ergo ſolus.* Num quilibet ex plebe Dialecticorum ἔνστασιν feret de reliquis Apoſtolis.

Sed

Sed ut videas quàm tecum ago liberaliter: omiſſa lite, tibi largior notam univerſalem appoſitam eſſe. Quid tandem ad ſummam rei hoc tibi profuturum eſt ? Num novum vel inſolitum ingenio tuo videtur rem unam in ſolidum multis committi ? Eſaias ad univerſum Judæorum populum miſſus fuit eodã temporis articulo quo Oſeas erga ipſum prophetico munere fungebatur. Sic Chriſtus Actor. 1. Apoſtolis omnibus, *critis mihi teſtes*, inquit, *apud omnes homines*. Sic Divus Paulus cum ſe gentium Apoſtolum prædicat, nihil inde tamen apud ſanos judices, quicquam aliorum Apoſtolorum muneri deperit. Quam tu igitur ineptè ſtultus es qui Petrum non modo Principem vulgo fidelium, ſed ipſis Apoſtolis Dominum imponis, quia Chriſtus dixit ei, *Paſce oves meas* ?

Verum antequam huic diſputationi finis imponatur, occurrendum eſt objectioni cuidam quam velut in terrorem collocatis in limine. Ea ſic habet. *Chriſtus cum paſcendas oves Petro commendaret, vel omnes, vel nullas, vel certas aliquas, vel indefinitas ei credit. At abſurdum fuerit dicere, vel nullas, vel certas aliquas, vel indefinitas. Ergo ſupereſt ut creditæ ſint omnes.*

Multiplex patet reſponſio qua ſolvantur hujus ſtrophæ nodi. Hæc princeps eſto : Petro commendatas fuiſſe oves illas quæ poterant ab ipſo paſci : ſicut Apoſtolis mandatum accipientibus *docendi omnes gentes*, conſentaneum eſt illos homines commendari qui poſſent ab iiſdem doceri : in quorum certè numero illi non comprehendebantur, qui conſortes ejuſdem Apoſtolatus, jam antè à Chriſto edocti, doctrinæ aliorum non indigebant.

Igitur

Igitur cum Petro traduntur oves paſcendæ, rite ab earum numero excludentur Apoſtoli qui ſplarum ovium quæ Petro commendebantur, ab eodem Domino Curam & regimen acceperant.

Sed addam indefinitas aliquas Petro commendari. Scio te reſponſurum hoc ἀσύστατον eſſe, & quidem duplici ratione; quarum prima eſt: *Commendare aliquas & commendatas non indicare, parem habere vim acſi nullæ prorſus commendarentur. Quis enim gregem quem non norit paſcat?* Non abſurdum ſanè primâ fronte commentum hoc videatur: Sed rem diligentiùs inſpice. Quanquam impræſentia nullis ſignis vel indiciis ovium paſcendarum Petrus inſtruatur; poſtea tamen Spiritu monitore accuratius edocetur: illo enim arbitro & diſpenſatore alii percolendæ Judææ retinentur; alii delegantur in Samariam. Nonnulli in Græciam trajiciunt: non nemo in Aſiam proficiſcitur. Quidam in longinqua & ignota terrarum peregrinantur.

Si verò tam abſurdum tibi videtur paſcendas oves nullis indiciis deſcribi, quanto abſurdius videri debeat, omnes ubique oves uni cuipiam hominum commendari. Quis enim omnes vel oculis luſtrare, vel notitia complecti poſſit? Num Petro tam valida oculorum acies? Num tanta ſingularium notitia & memoria? Num Papa veſter qui ſe καθόλικον paſtorem oſtentat, tam robuſtis ſenſuum & phantaſiæ facultatibus utitur? Sed amabò juva ambigentem vir doctiſſime. Nonne reliquis etiam Apoſtolis oves ſuas Chriſtus commendavit? Spero te non negaturum. Jubentur enim μαθητεύειν καὶ διδάσκειν, ſolvere & ligare, omniaque

omniaque ea facere, quæ qui faciunt paſtorum nomine indigitantur.

Verùm hoc eſt quod quæro : aliquaſne, an omnes illis commendavit? Non omnes : ſic enim Petro forent æquales, imo ſuperiores, nam omnium ambitu Petrus includitur, Ergo aliquas aut certas, aut indefinitas. Sic enim prorepit veſtra argumentatio. Non certas. Dic enim quas Johanni, quas Matthæo, quas cæteris commendavit. Indefinitas igitur. Nam quicquid aliud dixeris, hærebis in luto. Dicis tamen hoc perinde eſſe quàm ſi nullas commendaſſet. Unde vi veſtræ argumentationis ſequitur aut omnes aut nullas Apoſtolis commendari. Et ſane nullas citiùs quam omnes dixeris. At quantus illudit veſtris mentibus error ! Nec Gregi certo, nec Civitati, nec regioni adſtricti fuere Apoſtoli : prout Spiritus facto opus admonuiſſet, ita Curam gregis & locum commutabant. Hinc Apoſtolus Actor. 16. v. 6. 7. 10. teſtatur ſe monente Spiritu hîc nunciare Euangelium ; apud alios eodem autore ſileſcere. Quod ipſum capite decimo & capite decimo tertio diſertius adhuc enarratur. Quare certæ provinciæ aſſignari Apoſtolis non poterant qui toto viæ curriculo Spiritum Ductorem ſequebantur.

Jam verò ſecunda ratio qua curæ indefinitæ abſurditatem impugnas, hæc eſt. *Non eſſe providi Rectoris curam rerum indefinitam relinquere, utpote quæ confuſionem non dubiam & perturbationem pariat,* Certè apud ambitioſos & omnia aliorum munia in ſe trahentes periculum eſt à vitiis quæ memoraſti. Apud Papam veſtrum, qui non contentus Eccleſiæ regno, mûdi inſuper imperium vel armis vel dolo

dolo affectat, non abſurdus vel intempeſtivus fuerit ille metus. At inter Apoſtolos qui à Spiritu ad humilitatem & modeſtiam edocti, alii aliis cedebant, timendum non erat ut ejuſmodi mala erumperent. Potuit ergo Chriſtus oves ſuas illis indefinitè ſine ſuſpicione pravæ ſubſecututæ æmulationis committere : Nec enim tactus erat illis animus urtica ſuperbiæ : Nulla inter eos ambitio, aut arrogantia, qua alter alteri jus ſuum & munus præriperet : aut in alteris officium, tranſiliendo decori limites, irrumperet.

Quocirca Chriſtus oves ſuas Petro credidit, non has, non illas, ſed indefinitè ad quarumcunque curam impulſore Spiritu adigeretur. Unde ſocietas poſtmodum inita inter Paulum & Petrum, ut ille Gentium, hic Judæorum ovibus paſcendis præcipuam & peculiarem curam impenderet. Quæ ſane ſocietas vitio facta fuiſſe credenda foret, ſi oves univerſim omnes curæ & cuſtodiæ ſuæ commiſſas Petrus judicaſſet. Cur enim Judæos potius quam Gentes paviſſet, qui ſuam omnibus curam deberi ſciret ? Quare conſequentia tua clauda & elumbis eſt, quam ponè trahis. *Reſtat igitur ut omnes omnino ſuas oves Petro Chriſtus paſcendas commiſerit.*

Et has quidam aridæ ſophiſticæ minutias ſatis diſſlavimus, oborta interim commiſeratione veſtri, qui cauſam improbam & ruinæ proximam nullo rationum momento, ſed inaniis & λεπτολογίαις ſuffulcitis. Sed quærere lubet quo tandem inſaniæ pretio, reliquos Apoſtolos communi poſſeſſione in Petri gratiam extrudatis : Nec enim à Petro referendam vobis aliquando gratiam ſperate. Non enim ignorat à ſubdolis & verſutis hominibus

bus nomen ſuum ſpecioſo prætextu Pontificis ambitioni & avaritiæ obtendi. Nullum hîc *Petro* beneficium, ſed Papæ compendium quæritur. Tantumq; ex hoc fuco, qui ſociis Apoſtolis dehoneſtamẽto eſt, Petrus gaudium percipit quantum è ſacrificio Paulus & Barnabas hauriebant, quod ab incolis Lyſtræ tunc um Diis inſtaurabatur: Actor. 4. v. 14.

Cæterùm ut aliquando ſententiam veſtram quæ ratione corrigi nequit, abſurdis frangamus, vide quæ portenta eam comitentur. Si paſcendi voce ſumma poteſtas intelligenda ſit, tum quilibet paſcere juſſus ad poteſtatem ſummam vocatus eſt.

Quo nihil magis abſurdum. Nam aut nulli ſunt Paſtores præter Petrum, aut non omnibus jus indultum eſt & privilegium ſummæ poteſtatis, qui ad paſcendi officium ſunt voeati. Igitur ingens ille & immenſus Paſtorum numerus quo jure tandem, quâ audaciâ fretus ad paſcendũ ſe contulit? Quis juſſit? Quis author fuit? Quis vocavit? Nũ à Petro emanare dicent jus ſuum & curá paſcendi? Atqui ſcire debent non à Petro ſed Chriſto inſtitutũ fuiſſe paſtorum munus. 1 Cor. 12. v. 28. Eph. 4. 11. &c. Quare ſi Chriſtus dedit Paſtores, juſſit etiam paſcere. Si paſcere juſſit, tum aut omnibus Paſtoribus ſummam poteſtatem indulſit, aut certè paſcere non idem eſt quod ſummam exercere poteſtatem. His abſurdis fatigati rimulas circumſpicitis per quas elabamini. *Imo*, inquit unus, *juſſi ſunt reliqui paſcere, ſed gregem particularem.* Sanè ſubjungit alter, *juſſi ſunt paſcere, ſed in Petro.* Et revera neutra reſponſio allevat onus abſurditatum. Manebit enim hoc, ut in gregem ſuum peculiarem ſumma ipſis & ἀνυπεύθυνος poteſtas competebat. At hoc neque placet

placet vobis, nec utile est. Miscerentur enim Hierarchiæ gradus: & Papæ capitis læderetur authoritas. At in Petro si pascere jussi sunt (quod ipsum sua falsitate corruit; erant enim Apostoli solius Christi Legati; nulla à Petro, sed à Christo mandata acceperant, erant Collegæ Petri; famuli ejusdem Domini, ejusdem muneris socii, ejusdem potestatis consortes.) At, inquam, si in Petro pascere jussi sunt, & pascere (ut tu quidem vis) est regnare, tum omnes in Petro jussi sunt liberam & summam potestatem exercere, & in Papatus fastigium conscendere, & in tota Ecclesia principatum tenere. Quæ quidem cogitatio ut conscelerata & impia te ferè horrore exanimat. Est enim longè optabilius Ecclesiæ, & ovili salutarius, nullum esse Papam, quàm inter Papas innumeros distrahi.

Sed ea vis & fœcunditas argumentorum vestrorum est, ut quod uni stabiliendo adfertis, innumeris generandis sufficiat. Sed sequamur hoc filũ absurditatis. *Si ποιμαίνειν significat pascere, id est, regere & regnare summo jure, tum summa potestas soli Petro competiit: Soli enim Petro dictum fuit ποίμαινε τὰ πρόβατα μου.* veruntamen non soli Petro summa potestas, sed & aliis te fatente collata fuit. Non enim ulla major in Ecclesia, nulla augustior est quam clavium authoritas: attamen illa Apostolis promiscua fuit. Qua igitur ratione jubetur solus Petrus pascere, hoc est (ut vos quidem vultis) summa potestate fungi, si eandem reliqui Apostoli, jam ante, eodem tempore quo Petrus & ab eodem Domino, acceperant? Confugis ad distinctionem ineptam, frigidam & miserandam.

Ais

Ais enim, *hac paſcendi voce juberi Petrum poteſtatem ſummam exercere, ut Paſtorem ordinarium.* Sanè multum tibi debet & præſens & poſtera Philologorum ætas, quod vim Græcæ vocis ποιμαίνειν nos edocueris. Nam te interprete non ſolum Eccleſiæ Rector, Princeps & Dominus, ſed Rector ordinarius eo vocabulo deſignatur.

Cæterum pro tua humanitate te rogatum velim, ut veſtigium & cubile mihi demonſtres, in quo deliteſcit illud *ordinarium.* Ego enim nullum in voce angulum excutere potui, in quo poſſit conquiniſcere. Jubetur paſcere: hoc audimus ut ordinarius: hoc non audimus. Ac proinde homines non mali, ſed qui præſtigiis deludi nolunt, rident hoc commentũ, interdum indignantur. Sed ipſam ſe convellit veſtra expoſitio, *Nam ſi Apoſtoli & Paſtores extraordinarii aut juſſi ſunt paſcere, aut ſummæ poteſtatis exercendæ jus quovis modo acceperunt, tum non ſolus Petrus juſſus eſt paſcere, vel uti jure ſupremæ poteſtatis.* Jam verò quid in ordinario vel eximium vel præcipuum quid prærogativæ vides, quod Petrum in claſſem ordinariorum compingis? An tibi ſemper id ſummum videtur quod ordinarium eſt? Reperies judicia non minus tuo ſubacta quibus contrariũ placeat. Extraordinariũ enim ubi divinitus inductum fuerit, ordinario majus & auguſtius eſt, ut Moſes Aaronem, Samuel Summũ Sacerdotem, Prophetæ Levitas ſupereminebant. Sic ut tua ratio, contra quam vis, majorem Apoſtolis quàm Petro adſtruat poteſtatem. Sed quidquid tu tandem dixeris finxeriſve, nunquã è paſcendi voce principatum Petro vel ordinariũ vel extraordinarium exculpſeris, qui auguſtam & ſupremam clavium

clavium authoritatem Apoſtolis promiſcuè datam, dignitate aut poteſtate exſuperet.

Verum ſi miſſo certamine tibi conceſſerim quod concedi ſalva veritate non poteſt: Divum Petrum ſcilicet univerſæ Eccleſiæ præſidem impoſitum fuiſſe & Rectorem: quid inde Papæ tuo commodi accreſcet aut compendii? Petrus in cœlum ſubvectus & curis mortalibus exutus beatitudine fruitur; relictaque ovium ſolicitudine potitur præmio laborum. Ille igitur quomodo paſcit, hoc eſt ut tu exponis, regnat? In Succeſſore, inquis, Papa Romano. Sic enim diſſeris. Chriſtus dixit *Petro*: *Paſce oves meas. Ergo Papa Romanus eſt Eccleſiæ Rex & Princeps Catholicus.* Non movebo jam tot errorum in uno argumento concervatorum camarinam. Hoc modo, ex te reſcire velim cur ſucceſſio in paſcendi munus potius ad Pontificem poſt aliquot ſæcula emerſurum, quam ad Johannem, Matthæum, Paſtores ovium, vel alium è præſentibus referenda eſt. Sed his omiſſis videamus quam concinna ſit tua verborum Chriſti paraphraſis. *Paſce oves meas. Tu Petre ſolus univerſas oves paſce; per temetipſum quidem quamdiu ſuperſtes fueris: at ubi è vita migraveris, per Succeſſorem tuum unicum Papam Romanum.* Hæc eſt tua expoſitio, ingenioſa ut credis, ſed ſuperba & arrogans, & quæ tantum audacis licentiæ in Chriſti verba, quantum Papa in Eccleſiam uſurpat.

Jam verò ſi verba Domini Petrum de amore ſuo & affectu interrogantis urgeam, *Amas me?* Nonne Papæ exterminabitur ſucceſſio? Amor enim Petri erga Chriſtum perſonale donum ut ipſa fides eſt, quod in ſucceſſorem non transfunditur: niſi quatenus

tenus conſpicuum pietatis exemplum ad imitationem erectum eſt. Sed longæ diſputationis finem claudat hæc queſtio.

Papa Romanus ſucceditne Petro quâ Apoſtolus, aut quâ Epiſcopus ? diverſitate enim ſententiarum inter vos ſuper hac re diſſidetis. Quâ Apoſtolus, inquit Bernardus, ipſumque Papatum Apoſtolatum vocat ; cui ſententiæ tu quoque non vulgariter doctus adhæres. Illæ explodendæ præſentem operam navabo, alterum aliàs profligaturus. Aio igitur Papam veſtitum Apoſtoli ritu ſuccedere non poſſe, qui Apoſtolus eſſe non poteſt. Eſt enim de natura Apoſtoli ἀμέσως vocari, miniſtrare omnibus gentibus, & omnes ubique populos paſcere ; quæ qualitates à Papa longè alienæ ſunt. Jam verò ſi Divo Paulo credimus, deſiit Apoſtolatus & exolevit. Inquit enim diſertè 1 Cor. cap. 4. v. 9. *Deus enim puto nos ultimos Apoſtolos ſpectandos propoſuit tanquam morti addictos.* Quare cum ultimi fuerint Apoſtolorum Paulus & Barnabas, quis furor eſt alium poſt noviſſimos quærere ? Sanè ſi perſonatos illos Apoſtolos ſcrutemur diligentius, velo levato tales erunt, quales Eccleſia Epheſina Apocal. 2. v. 2. mimos quoſdam invenit ; mendaces ſcilicet ementitos, adulterinos, *nothos* qui ſe verbis ventilabant Apoſtolos, revera plani, impoſtores, ſcurræ. Et ſane dum adhuc vagiebat in cunabulis Eccleſia, munus illud extraordinarium et divinum erat, quod adulta jam & roborata Eccleſia deſiit.

Sed hæ nugæ tanti non ſunt, ut illis refellendis operoſius, rem omnium pietioſiſſimam, Tempus decoquamus. Ut ſubruatur a fundamentis Papalis imperii

imperii moles hoc unum factu opus eſt. Inſpicienda Gubernationis illius forma qua primitivam & omnis a huc fuci neſciam Eccleſiam Apoſtoli moderabantur. Intuentibus enim inſanctitatem illorum temporum non deerit exemplum quod imitentur. Atqui Apoſtolos Optimatum inſtar, non Regum, præfuiſſe Eccleſiis inde conſtat, quod non ſingulares modò cœtus, ſed cœtuum ſynodi ariſtocratico & presbyteriali regimine fuerint gubernati. Ac de cœtu ſingulari ne quid dubites, audi Chriſtum Matth. 18. ver. 17. præcipientem, *Dic Eccleſiæ*, cœtui univerſo, comitio Eccleſiæ. Immorigerum, pervicacem, præfractum non unus aliquis excellior cæteris, ſed omnis cœtus, integra univerſitas ſocietas conſiliis pari autoritate increpabit & corriget. Nam ligandi ſolvendique poteſtatem non homini ſed hominum cœtui Chriſtus delegavit, his enim in formula verbis utitur, *Quicquid vos ligaveritis*: non quicquid unus ſuperbior & erectior cæteris, ſed quod omnium conventu, ſuffragiis, autoritate decretum fuerit, id ratum eſto.

Sed ſingulares cœtus ut in Scripturis memorantur inſpiciamus, & primò quidem illum qui in Urbe Principe Hieroſolymis colligebatur. Sic legimus Act. 11. v. 1. 2. 3. *Audiverant autem Apoſtoli & fratres qui erant in Iudæa Gentes etiã recepiſſe Sermonem Dei. Quum igitur aſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, certarunt adversus eum qui erant ex circumciſione, dicentes ad viros præputium habentes introiiſti, & uni ediſti cum eis: exorſus autem Petrus, expoſuit eis ordine dicens, &c.* Hîc Monarcha veſter Petrus cum ab imperitis vapularet, non utitur autoritate regali, non id prætendit quod prætexitur a veſtris, ſe Epiſcopum

pum eſſe, nec obnoxium judiciis aut cenſuris, non aliter conſtare rationem Imperii quam ſi uni ſibi reddatur: ſed ut par cæteris, & conſors ejuſdem muneris & dignitatis quod omnium intererat coram omnibus exequitur, & facti rationem non ſupercilio Domini, ſed modeſtia ſocii reddit: paremque Ariſtocratiæ vim fuiſſe in cæteris Judaicæ Provinciæ cœtubus manifeſtum eſt ex verſubus 22.23. *Peruenit autem rumor ad aures Eccleſiæ quæ erat Hieroſolymis: miſerunt igitur Barnabam ut pergeret Antiochiam uſque, qui hortatus eſt omnes ut propoſito cordis permanerent in Domino.* & ver. 29.30. *Singuli autem diſcipulorum prout cuique ſuppetebat, decreverunt ſubſidio mittere aliquid fratribus habitantibus in Iudæa. Quod & fecerunt, mittentes ad Presbyteros per manum Barnabæ & Sauli.* Antiochiæ verò è quâ primum Scholâ nomen Chriſtianum prodiit, cuncta in cœtu fidelium ἀειζωρατικῶς adminiſtrata, nec uni cuipiam Summam rerum collatam, ſed in pari diginitate parem unicuique regiminis curam fuiſſe è verbis illis apparet quæ cap. 13. leguntur. *Erat autem Antiochiæ in Eccleſia quæ illic erat, quidam Prophetæ & Magiſtri Barnabas & Simon qui vocabatur Niger, & Lucas Cyrenæus, & Manhen qui fuerat unà cum Herode Tetrarch educatus, & Saulus. Quum igitur ij miniſtrarent Domino & jejunarent, dixit ſpiritus ſanctus, Separate mihi Barnabam & Saulum operi ad quod eos advocavi.* Quibuſcum illa conſentiunt quæ capite decimo quarto ver. 23. recitantur. *Quum ipſi per ſuffragia creaſſent per ſingulas Eccleſias Presbyteros, precatique eſſent cum Jejuniis, commendarunt eos Domino in quem crediderunt.* Et omnia ſanè recenſere longum foret quæ capite

decimo

decimo quinto ver. 2. 3. 4. 6. & capite 16. ver. 4. & capite 20. 17. & ver. 28. pro tuendo Optimatum in cætubus regimine ſpiritus ſanctus ediſſerit. Sunt inſtar omnium illa Divi Pauli, ver. 28. *Attendite ad vos ipſos & totum gregem, in quo vos ſpiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos, quem ille proprio ſuo ſanguine acquiſivit.* Quæ lux verborum ipſis Remenſium tenebrionibus tam efficaciter affulſit, ut inter Epiſcopum presbyterumque diſcrimen omnino nullum agnoverint: omnes enim Epheſinæ Eccleſiæ Presbyteros Epiſcoporum titulo D. Paulus exornat, nec uni dominationem in cæteros, ſed omnibus curam miniſteriumque commendat paſcendi gregis.

Veruntamen omiſſa Judæa, ubi ad Romanos ventum eſt & urbem illam dominam cui imperium in omnes Eccleſias attribuitis, quam moderatum in illo cœtu regimen? quanta Paſtorum & vigilum paritas? quanta Eccleſiæ totius autoritas? *Precor vos fratres*, inquit Divus Paulus, *ut ſpeculemini diſſidiorum & ſcandalorum autores, præter doctrinam quam vos didiciſtis: & declinetis ab eis. Nam qui ejuſmodi ſunt Domino noſtro Ieſu Chriſto non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per blandiloquentiam & aſſentationem corda hominum minimè malorum ſeducunt.* Non tu Petre cuſtos unice & rector aliorum, ſed vos quibus id curæ datum eſt ne quid Eccleſia detrimenti capiat, agite & invigilate gregi, conſiſtite in ſpeculis & arcete prædatores lupos ovili. Non uni ſed pluribus cura imponitur & regimen, presbyterium Romæ non dominatus eſt Divi Pauli auſpiciis. In Eccleſia vero Corinthiorum par ubique ratio eſt ſic, enim D. Paulus. 1 Cor. c. 3. v. 5.

Quis

Quis eſt Paulus, quis autem Apollo, niſi miniſtri per quos credidiſtis? Et toto ſanè capite in eo multus eſt, ne Dei miniſtros pro cœtuum Dominis fideles agnoſcant; id quippe vitii illorum eſſe qui obtemperant homini, non Deo in hominibus loquenti. Nullus igitur apud Corinthios ſingularis rector, Dominus nullus. Quod in capitali Eccleſiæ negotio præcipuè manifeſtum eſt capite quinto, ſic enim verſibus quinto & ſeptimo capitis ejuſdem, inquit idem Apoſtolus, *Vobis & ſpiritu meo in nomine Domini Ieſu Chriſti congregatis cùm poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ejuſmodi, tradatur Satanæ ad interitum carnis. Expurgate igitur vetus fermentum*, &c. Non enim Monarcha Epiſcopus, ſed συμπρεσβύτερις Presbyteri ſummum Eccleſiæ judicium peragunt, *Excommunicationem*: Neque ſecus ſeſe res habet in judiciis rerum civilium, quatenus eas dirimi tranquillitatis intererat: Sic enim verſu quarto capitis ſexti idem Paulus. *Itaque ſi judicia habeatis de iis quæ ad hujus vitæ uſum pertinent, eos qui minimi ſunt in Eccleſia in ſubſelliis collocate.* Quibus rerum argumentis evincitur cœtum Corinthiorum non penes Dominum, ſed presbyteros fuiſſe.

Nec in Galatarum Eccleſia quicquam regium tumidumve apparet: Ariſtocratiæ facies & vultus ubique eſt. Sic enim magnus ille Gentium Apoſtolus capite quinto, ver. 1. *In libertate igitur qua Chriſtus nos liberavit, perſtate, & ne regredientes implicamini ſervitutis jugo*, & ver. 7. *currebatis pulchrè, quis vos interpellavit ut non obſequemini veritati*, & ver. 12. *Vtinam etiam abſcindantur qui vos inquietant*, & cap. 6. *Fratres*, inquit, *etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliqua offenſa, vos ſpirituales inſtaurate hujuſmodi*

modi hominem cum ſpiritu manſuetudinis alii aliorum onera portate. Quid dici potuit pro paritate regentium diſertius? Ipſe ille Paulus, at qui vir! qui Eccleſiam hanc Galatarum è fundamentis extulerat, & ornaverat nullum in eandem dominium imperiumve exercet, nec cuiquam mortalium illam regendam Premendamque mancipat; id monet & hortatur ut libertati per Chriſtum partæ non indecores uſurpantium & illudentium dolos evitent. Nec unum præ reliquis excitat ad hanc curam, ſed omnes ad capeſſendam ſalutem utpote ſocios & conſortes ejuſdem muneris & dignitatis monet.

At Philippenſibus quænam regendæ Eccleſiæ forma adfuerit, in ipſo ſtatim limine proſcribit Apoſtolus. Inſcribit enim Epiſtolam *omnibus Sanctis, unà cum Epiſcopis & Diaconis.* Epiſcoporum enim nomine illos indigitat qui verbo ſimul & regimine moderantur Eccleſiam, eos eoſdem presbyterorũ vocabu[illegible] nobilita[illegible]eo ut non unius nutum apud Philippenſes, ſed plurium in uno ſonatu ſuffragia agnoſcas. Non enim uni inter illos ſe ſubjicienti Epiſcopo, ſed pluribus, ſed omnibus Epiſcopis, hoc eſt, ſocius & ſumpresbyteris Eccleſiæ curam committit.

At apud Coloſſenſes quis Regiminis modus fuerit in capitis ſecundi verſu quarto D. Paulus quaſi ex profeſſo edifſerit. *Videte,* inquit, *ne quis ſit qui vos deprædatur per Philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum* & verſ. 18. *Nullus voluntarius moderator de vobis ſtatuat ex ſubjectione & cultu angelorum ſeſe ingerens in ea quæ non vidit & temere tergens carnis ſuæ ſenſu* 19. *neque obtinens caput,*

caput, ex quo totum corpus per commiſſuras & compages ſuppeditatum & compactum augeſcit Dei augmento, & cap. quarto, ver. 11. & 17. *Dicite Archippo*, inquit, *vide ut miniſterium quod accepiſti à domino impleas*, & concludit *gratia vobis, amen.* Non Archippum Monarcham Epiſcopum Eccleſiæ imponit, ſed ipſam Eccleſiam moderatricem & inſpectricem præponit Archippo. Aberat igitur Rex unus & Dominus cæterorum, ſed omnibus in ſingulos, cura datur & regimen. Plurium enim in illa Eccleſia Paſtorum meminit D. Paulus, cap. 1. verſ. 7, &c.

Neque Diſpar apud Theſſalonicenſes moderatio. Sic enim capite quinto verſu 12, 13, 14. *Rogamus autem vos fratres ut agnoſcatis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino & admonent vos, & quam maximè charos ducatis propter opus ipſorum*, &c. *precamur autem vos fratres monete inordinatos*, &c. Non unum rogat Apoſtolus [illegible] eminentiorem, ſed omnes quos curâ & [illegible] io muneris conſociaverat.

Quæ regiminis apud ſingulares cœtus forma tam ſolennis erat aureâ illâ Apoſtolorum ætate, ut D. Paulus Timotheo dicat, 1 Epiſt. cap. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, ii maximè qui laborant in ſermone & doctrina.* Nulla Epiſcopis prærogativa, dignitas præ cæteris nulla, ſed honos omnis, omne decus Presbyteris quos gradu pares & ordine, docendi regendique curæ conjunxerant. Quare Tito idem Apoſtolus in memoriam revocat qua de cauſa ipſum in Creta reliquerit, cap. 1. verſ. 5. *Ut conſtitueres Presbyteros*, non unum aliquem cæteris imperaturum, ſed plures ſocietatis geminatiſque laboribus con-

ſulturos Eccleſiæ ſaluti. Inde Hebræos quoque monet & hortatur, cap. 13. ver. 17. *Obedite ducibus veſtris, & obſecundate vigilant enim: ipſi pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, id enim eſt vobis inutile.* Non uni duci Regique cui poteſtas in cæteros; ſed ducibus rectoribuſque quibus par dignitas.

Sic Divus Petrus, à quo vim in Eccleſia regnatricem emanaſſe mentimini, nõ tumore monarchico, ſed lenitate ariſtocratica Eccleſiarum Paſtores inſtruit, 1 Petr. cap. 5. *Presbyteros qui inter vos ſunt, precor ego unà presbyter & collega*, &c. *paſcite Dei gregem qui penes vos eſt, curam illius agentes, nõ coactè, ſed libenter: non turpiter affectantes lucrum, ſed prompto animo. Neque ut Dominantes Cleris, ſed ut qui ſitis exemplaria gregis, & quum apparuerit ille Paſtorum Princeps, reportabitis immarceſſibilem illam gloriæ coronam.* Ubi unus ille Dux gregis quem tota armenta ſequuntur? ubi dominatio? ubi poteſtas & jus in cæteros? Levis ubique & placida Ariſtocratiæ facies. Unus ἀρχιποίμην Chriſtus; Cæteri qui huic Sacramentum dixere, autoritate pares ſunt, non domini gregis, ſed famuli. Quis monarchiam & dominationem ſomniet, ubi cunctis ad eaſdem muneris partes vocatis opera & miniſterium imponuntur? Optimatum igitur in Eccleſia primitiva regimen fuit, quando cuncti labore & dignitate pares, autoritate inter cæteros nemo princeps fuerit.

Neque diverſus abit ab hoc inſtituto D. Jacobus, non levis apud veſtros exiſtimationis. Sic ille capite 5. ver. 14. *Infirmatur quis inter vos? accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo unguentes eum oleo*

in

in nomine Domini, accerſat inquit *Presbyteros*, non unum illum coryphæum & principem cæterorum Dominum, ſed hunc illumve pluresve; omnium enim in procuranda fidelium ſalute partes eædem ſunt, eadem muneris & autoritatis ratio. Talis erat recentis adhuc & immaculatæ Eccleſiæ forma, priuſquam ambitio dominatus ingenuitatem illam optimatum dehoneſtaverat. Orare pro ſalute fidelium, ſupplicationibus procurare valetudinem ægrorum, cœlum exorare, propitiare Deum, primitivæ Eccleſiæ cura fuit & occupatio. Solus hic ambitus erat inter ſocios muneris, quis agendo, vigilando, bene conſulendo ſervitutem ſuam erga Deum teſtatam faceret; non quis autoritate & poteſtate jubendi hominibus præcelleret.

Et particularium quidem Eccleſiarum ariſtocratica moderatio ita ſe habuit. Superest ut conſertam in Synodis & conciliis Eccleſiarum regimen ad eundem ſe modum habuiſſe è divinis tabularijs convincamus. Quod negotium illuſtribus teſtimoniis ubique effulget. Et ſanè in ipſo limine hiſtoriæ quâ Apoſtolorum acta traduntur, univerſum Chriſtianorum Eccleſiam in Concilium convenisse ſuper re longe graviſſima accipimus; id enim agebatur ut in ſocum quē proditor Judas ſui ipſius infami ſupplicio vacuum fecerat, novus Apoſtolus ſufficeretur. At hoc in Concilio, nihil Imperio unius & autoritate, ſed pari ſuffragantium jure & poteſtate negotium peragitur. Nulla cujuſquam Juriſdictio, nulla dominatio. Diſertis enim Scripturæ verbis ariſtocraticus ille conſiliantium conventus deſcribitur. *Et cum introiſſent, aſcenderunt ubi commorabantur omnes apoſtoli: Hi omnes*

perdurabant concorditer in oratione & deprecatione cum uxoribus, & Maria Matre Iesu, & cum ipsius fratribus. Et per eos dies assurgens Petrus in medio discipulorum, dixit (erat autem turba capitum cõdem loci quasi centum viginti) viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Davidis de Iuda, qui fuit dux viæ iis qui comprehenderunt Iesum, & ver. 21. *oportet igitur ex iis viris qui nobiscum convenerunt toto tempore, &c. Vnum fieri nobiscum testem resurrectionis ejus.* Nihil hic unus aliquis & seorsim exequitur: Sed palam & omnes consentientibus suffragiis peragunt: sic enim subsequens Scripturæ narratio perhibet. *Statuerunt igitur duos, &c. Et precantes dixerunt, tu Domine, qui corda omnium nosti, ostende utrum elegeris ex his duobus, ut accipiat sortem ministerii hujus & apostolatus, quo abe ravit Iudas; Iecerunt igitur sortes eorum & cecidit sors supra Matthiam qui communibus calculis allectus est cum undecim apostolis.* Petrus sanè vel monente Spiritu vel vocante Ecclesia Concilii moderator adest & decori custos; sed Monarcham non agit, neque Principem se ostentat, par cæteris potestate & suffragii jure æqualis. Aderat enim omnis universitas, cunctisque Apostolis & Ecclesiarum ministris præsente vi Sancti Spiritus afflatis illibatum jus calculi. Et hoc quidem primum Ecclesiæ universale concilium est, nulla Dominantis ὑποσοχῇ obumbratum, sed libera & æquali deliberantium ἐλευθερίᾳ præfulgens.

Secundum verò Ecclesiæ Concilium œcumenicum Actorum capite sexto verbis minimè obscuris describitur. *Cæterum per eos dies cum multiplicarentur discipuli, ortum est murmur Græcorum adversus Hebræos*

Hebræos, quod ipſorum viduæ deſpicerentur in miniſterio quotidiano. Itaque duodecim illi advocata multitudine diſcipulorum, dixerunt, non eſt æquum nos derelicto Sermone Dei, miniſtrare menſis. Deſpicite ergo fratres ex vobis viros ſeptem, idoneo teſtimonio ornatos, plenos Spiritu Sancto & ſapientia, quos præficiamus huic negotio. Nos verò in precibus & adminiſtratione ſermonis perdurabimus. Placuit autem hæc oratio toti præſenti multitudini. Et elegerunt ſeptem quos ſtatuerunt in conſpectu Apoſtolorum : qui cum precati eſſent, impoſuerunt eis manus.

In capitali Eccleſiæ negotio ut obviam iretur diſcordiæ ipſa cœtuum viſcera inteſtinis motubus collidenti non unus aliquis apoſtolus Monarcha reliquorum, ſed omnes Apoſtoli convocatæ multitudini proponunt remedii ſalubritatem. Nec electionem peragunt veluti jure quodam præcipui ſibi debitam, nec ut Domini cæteris imperant ; ſed diſcipulis in Concilio coëuntibus totique Eccleſiæ permittunt tranſcribuntque eligendi libertatem. Quo argumento nullum efficacius eſt aſſerendæ de qua agimus, ariſtocratiæ.

Reſtat inſigne illud Concilium quod ab omnibus Apoſtolis Hieroſolymæ celebratum legimus Actorum 15. ver. 22. *Tum viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia.* Et paulo poſt, *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Unde veritatis invictæ argumentum eruitur, non uni cuipiam regia poteſtate præeminenti, ſed omnibus paritate ariſtocratica decoratis rerum ſummam commiſſam fuiſſe. Sed quia Primatum Petri nihil hinc detrimenti accipere ſolenni audacia contenditis, ipſa loci verba vocemus ad curatius examen. Exacer-

batâ jam diſſentione, *viſum fuit ut Paulus & Silvanus aſcenderent, ad Apoſtolos & Presbyteros*, ut eorum prudentia & deliberationibus gliſcentium ſtudia litium conſopirentur; non ut unius autoritate vel poteſtate jubendi controverſia finiretur, quod tamen fieri debuiſſet à Principe & Monarcha Eccleſiæ. Addit exinde Apoſtolos & Presbyteros congregatos fuiſſe, deliberaturos de controverſo negotio. Non ergo ſoli Petro permiſſum rei judicium: ſubjungit denique cum jam diu multumque ſuper ea re diſputatum fuiſſet, variis dictis ſententiis, ſurrexiſſe Petrum. Ergo ne quidem dicendæ primo loco ſententiæ prærogativâ gaudebat Petrus! Sed in liberrimo Concilio pari cum cæteris jure agebat. Non indixit ille Concilium more Principis: indicto non præcedit: Sententias non rogavit: nihil ſanè vel feciſſe vel dixiſſe perhibetur quod non cuivis conſiliantium jus faſque fuit. Et certè ſi Principem in illo Concilio quærimus, non Petrum, ſed Jacobum potius ea dignitate ornabimus, cujus ſententiæ ut Chriſto & Scriptura dignæ ὁμοψήφως καὶ ὁμοψύχως omnes aſſenſi ſunt. Quam Ariſtocratici Conventus, conſpirantibus omnium ſententiis concordiam ita proſequitur Evangeliſta, ver. 22. *Tum viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia*, & ver. 25. *viſum eſt nobis concorditer coactis &c.* quæ teſtimonia ſatis evincunt Apoſtolos jure & dignitate inter ſe pares cum Presbyteris & Eccleſia Dei Optimatum more & lege Eccleſiam rexiſſe.

Hic te jam rogare non pudet, quid hinc detrimenti capiat Primatus Petri? ô ſtuporem! Conveniunt Apoſtoli, ſociatis cum tota Eccleſia presbyteris,

presbyteris, concilium vocant, decreta faciunt, cum quibus Judam & Silam ablegant Antiochiam. Ubi Princeps & Monarcha Petrus? Hoccine moris eſt in Regio imperio, vocare Senatum, leges condere, edicta facere inconſulto Principe? Næ ſi tu ita ſentias, dignus ſis qui extra regis tutelam in ferarum luſtris conſeneſcas. Jam verò quod ver. 28. adjungit Evangeliſta, viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, quam directè τῷ πνεύματι primatui contradicit? par enim congregatis Apoſtolis autoritas, par dicendæ ſententiæ libertas, par denique Sancti Spiritus afflantis præſentia: quæ ſicut omnibus à Domino promiſſa, ſic omnibus pariter præſtita videmus. Nec enim viſum eſt Spiritui Sancto & Petro, ſed Spiritui & nobis, quorum ſociati labores in ædificandâ Eccleſia uni Chriſto, Duci, Principi, Monarchæ navantur.

Hoc igitur evicimus, nullo inter Apoſtolos primatu, non particulares modo Eccleſias ariſtocratico regimine, ſed conſertas inter ſe & univerſalibus junctas comitiis optimati non regia forma gubernatas fuiſſe. Nec id tantum, ſed unicuique Eccleſiæ parem vim poteſtatemque collatam à Chriſto Principe; nec autoritate aut privilegiis vel rituum cæremoniarumve dignitate aut pompa alteram alteri præcelluiſſe. Actor. 15. & cap. 16. pari ubique jure ſuffragiorum in legendis paſtoribus & miniſtris act. 6. & cap. 14. ver. 23. & cap. 1. ver. 26. adeò ut ne Hieroſolymitanæ quidem ullam indulſerit Dominus prærogativam, matri tamen & nutrici reliquarum quæ vel Antiochenæ, vel Corinthiæ, vel Epheſinæ, vel Romanæ, præcederet. Neque regiminis illa rituumque &

diſciplinæ paritas vel ſponte vel pro lubitu arrepta fuit à primitivis Eccleſiis, ſed Apoſtolorum mandato juſſuque impoſita, 1 Cor. 7. v. 17. & cap. 14. ver. 37. & 1 Tim. 5 ver. 21. & capite 6. ver. 13. 14. neque παρέργῳ tantùm aut occaſioni inſervitura, ſed perennis & vim ſuam continuatura in finem ſæculorum, denunciatis in illos diris & ſuppliciis qui diverſa Doctrina obnubilabunt ſerenitatem Eccleſiæ, 1 Timoth. cap. 1. ver. 3. 2 Timoth. cap. 1. ver. 13. Gal. 1. ver. 8. 9. 2. Epiſt. D. Johannis ver. 10. Nec enim Evangelii modo & fidei Doctrina eſt, ſed rituum & diſciplinæ quæ Eccleſiæ vincula ſunt, quibus vel novandis vel ſtringendis, nec hominibus jus eſt, nec angelis. Gal. 1. Matth. 15. ver. 9. & Coloſ. cap. 2. & Titi cap. 1. ver. 14 15. Quis igitur furor, quæ dementia eſt Petrum vel qualemcunque demum Epiſcopum Eccleſiis Tyrannum obtrudere, quis ariſtocratica libertate & paritate Regiminis ipſe Legiſlator donavit?

Ita tandem purgatus à ſordibus tuis primus primæ quæſtionis articulus, Num *Petrus à Chriſto datus fuerit Eccleſiæ monarcha*; Supereſt ſecundus, *Num Petrus Romæ fuerit*, quem in præſentia minori diligentia perſequar, accuratius vacaturus aliàs iſti diſquiſitioni ubi poſtulaverit uſus. Sed in tranſcurſu tamen aliquid libabo. Divus Paulus & nomine & civitate Romanus, qui ſuper alieno fundamento ædificare dedignabatur, qui confirmandis Romanis utpote à nullo adhuc Apoſtolo edoctis enixam operam impendebat, qui ſynagogæ Romanæ Actor. 28. primus exponebat myſterium fidei, palam oſtendit, quod à ſe non ab alio ullo

Apoſto-

Apostolorum Christi nomen in palatio Cæsaris fuerit nobilitatum. Phil. c. 1. sicut in carcere Hierosolymitano Deus id ipsum illi prædixerat. Actor. 23. v. 11. His adde, quod scripta ad Romanos epistola, tam sedulò salutans omnes qui in augenda re Christiana Romæ laborabant, Petri mentionem non faciat; cum illius c. 2. ad Gal. Antiochiæ versantis & inter Judæos, quorum ministerio consecratus erat, agentis prolixè meminerit: Sic ut à Paulo certè constare possit Petrum Judæis Ministrum, in Oriente vixisse, utpote in quam partem orbis maxima pars illorum diffluxerat: quod ipsum à Petri epistolis haud minus manifestum est, cum primam earum Babylone dederit. Et revera miraculi instar est, rem tanti momenti, è qua Papisticæ religionis summa dependet, in Scripturarum integro contextu, ne quidem attingi verbulo. Nusquã Euangelistæ, nusquã in Epistolis Apostolorum; in Actis Apostolicis nullibi; ne in Apocalypsi quidem ulla Petri Romæ commorantis mentio est. Quare cũ Scriptura quæ in rebus ad salutẽ pertinentibus tã diserta, tam copiosa est, nihil de Petri inquilinatu in urbe Domina loquatur, haud difficulter quis credat in eadem urbe Petrum non fuisse. Quod si tamen de Petri incolatu constiterit, quomodo sequetur illum Ecclesiæ Caput & Principẽ fuisse, Papamque Romanum in eo fastigio Petri successorem esse. Ad Eusebii testimonium, qui Clementis Alexandrini & Tertulliani autoritate asseverat Petrum Romæ fuisse, nihil particulatim jam respondeo, contentus hoc unum dixisse, testes humanos oportere divinis decedere. Sed hæc quæstio cũ sit primæ quasi ἀποπασμάτιον,

sufficit

ſufficit de ea breviter aliquid & ἀκροτιχῶς delibaſſe.

Quæſtionem verò ſecundam NUM PAPA QUATENUS ROMANUS EPISCOPUS, JURISDICTIONEM HABEAT IN SOCIOS, jam nunc aggrediar, ſed ſolo Scripturarum auxilio, utpote quibus ſuffragantibus facilè evincitur, neminem Epiſcopum ſupra Coëpiſcopum, imo ne ſupra presbyteros quidem ulla vel poteſtate vel dominatione præcelluiſſe. Pares enim illos divina fecit conſtitutio; paris autem in parem non eſſe imperium inter naturæ κυριας δξας eſt. Igitur ut ritè procedat hæc diſputatio, duo probanda ſunt, unum eſt, *Epiſcopos & Presbyteros, jure divino, eoſdem eſſe.* Alterum eſt, *Presbyteros juxta cum Epiſcopis jure præſidendi, ordinandi & excommunicandi polluiſſe.* Quibus evictis conſequetur ultro Romanum pontificem ut Epiſcopum, authoritate nulla præ reliquis Epiſcopis & presbyteris ſibi per omnia pariter & æquatis, excellere.

Sed ad primam poſitionem probandam, nos juvant ipſæ voces Epiſcopi & presbyteri, quæ paſſim in ſacris Literis ſono diverſæ, rem tamen eandem ſignificant. Sic Paulus presbyteros Epheſinos hortatus, Actor. 20. *Attendite*, inquit, *vos ipſos, & totum gregem, in quo Spiritus Sanctus vos conſtituit Epiſcopos.* Et Epiſt. ad Titum cap. 1. *Reliqui te in Creta, ut conſtituas Presbyteros, oportet enim Epiſcopum eſſe inculpatum.* Et ad Phil. 1. *Salutat omnes Sanctos, qui erant Philippis, una cum Epiſcopis & Diaconis.* Ita Divus Petrus Epiſt. 1. cap. 5. presbyteros compellans, *Paſcite*, inquit, *gregem qui penes vos*

vos est, ἐπισκοποῦντες μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, unde patet Episcopum & Presbyterum (de iis intellige qui Ecclesiam docent) munere & functione unum & eundem esse, & muneris identitatem geminis vocibus exprimi, Nec juvat respondentes Pontificios frigidum illud commentũ, *confundi nomina muneribus discretis.* Nam his in locis ubi Presbyteri vocantur Episcopi, non de titulo, sed ipso munere quod titulo insignitur, disceptatio est. Quum Divus Paulus Presbyteros Ephesinos ad officii rationem excitat, hac utitur suasione, *Quod illos Spiritus Sanctus constituerit Episcopos:* non quod nominis quadam umbrâ ad speciem Episcopalem, sed quod institutione divina ad virtutem & vim functionis Episcopalis sint admoti. Evanescat igitur umbratilis illa distinctio ad hujus testimonii lucem.

Imò erubescat futilis illa subtilitas, quæ commentis inanibus à Scriptura fucum quærit. Animadverto enim ab hominibus vestris *colorem peti ex prioris epistolæ Petri capite quinto, ubi se* συμπρεσβύτερον *vocat Apostolus; & Actorum capite primo, ubi accipiendo Iudæ Episcopatui designatur alius; & tandem in illa Pauli secunda ad Timotheum capite quarto versu quinto, ubi monetur divinus adolescens ut expleat Diaconiam suam.* Hîc ergo clamant, haud inde sequi, ut Apostolatus cum Presbyteratu idem sit, vel Episcopatus à Presbyteratu non differat, vel Evangelista non sit alius à Diacono. Proh fidem & acumen vestrum Romanenses! Hîc inter Apostolum & Episcopum, inter Presbyterum & Apostolum differentiam fuisse dicitis non vulgarem, quamvis promiscua sit vocabulorum societas.

Et

Et hoc velut ariete rationum n ſtrarum muros proruitis. Exinde facti jam acriores, contenditis Apoſtolos omnes & Euangeliſtas illius notæ Epiſcopos fuiſſe, cujus illi ſunt qui nunc Hierarchici audiunt. Quid hoc eſt, niſi id operam dare, ut cum ratione inſaniatis ?

Conatus enim veſter in eo deſudabat, ut probetis communione nominum non tolli differentiam rerum ; cujus nunc vel incuriosi vel obliti, ſummam illicò differentiam ponitis inter Apoſtolum & Epiſcopum ; quod ipſum, oblu-ctante ſibimet ipſi perplexitate nugarum, diſtrictè rurſus & fervidè pernegatis. Sic incerti fluctuant, quibus non ratio, ſed Dux eſt animi lubido. Verùm ad ea Scripturæ loca ſequamur provocantes. Sanè non ſalubre modò, ſed neceſſarium eſt, Chriſtianæ diſciplinæ alumnis cum Scriptura loqui, & ſuper eam non ſapere. Illa verò cum paſſim & apertè Apoſtolum ab Epiſcopo & Presbyterum ab Apoſtolo, ab utriſque verò Euangeliſtam diſtinguat, importunæ audaciæ foret illos ut pares & eoſdem confundere : neque minoris vecordiæ diverſitatem illis noſtro arbitrio imponere, in quibus nullam omnino differentiam Scriptura annotavit. Apoſtoli verò & Evangeliſtæ extraordinarii certè Eccleſiæ Miniſtri, quamvis ſibi nonnunquam vocabula induerint, ob ſimilitudinis quaſdam in muneribus imagines, propria & peculiaria ordinariis Eccleſiæ Miniſtris ; mi-ſit tamen inter munera eorum & officia diverſitas ſumma cujus non perfunctoriè Scriptura meminit.

Qui mos perpolitæ humanitatis non in ſacris modò

modò, ſed in civili converſatione obtinuit, ut Principes viri & in ſumma fortuna conſtituti ſocietate quadam minoris tituli, faſtigium ſuum inferioribus miniſtris ſubmittunt, illibata tamen loci dignitate & differentia muneris. *Sic ſummus Militiæ Imperator Gregarios omnes commilitones vocat. Sic Magiſtratus ſæpe privatum aliquem concivem appellat. Sic in familia regia non nemo maximus, minorem fortè conſervum ſalutat.* Quia blandi moris humanitate, nihil quidem decoris, nihil ornamenti vel dignitaris principibus viris decedit, nec inferioribus id accedit meritum, ut ob Tituli ſocietatem, in muneris emergant communionem. At cum de Preſbytero & Epiſcopo (ordinariis Eccleſiæ Miniſtris) Scriptura loquitur, nullam inter eos diverſitatem, differentiam nullam ponit. Par enim inter illos dignitas, idem honos, eadem muneris ratio, quod diverſis quidem vocabulis οἰκονομίας, λειτουργίας, ὑπηρεσίας, διακονίας, ſed rem tamen eandem ſignificantibus exprimitur: utpote cujus præcipuum momentum in verbi & Sacramentorum adminiſtratione, quæ ſunt Eccleſiæ ſemina, continetur. Unde factum eſt, ut ob communem officii curam ea ſibi nomina induerint Apoſtoli, quæ presbyteris in verbi & Sacramentorum cultu deſudantibus propria ſunt, quamvis illis terrarum orbis fine meta aut limite, & quidem ab ipſo Deo, cujus numine pleni erant; his certus hominum numerus, ſede non dubia, & quidem ab hominibus commiſſus fuerit in diſciplinam. Qua diverſitate ſatis elucet inter ordinarios & extraordinarios Eccleſiæ Miniſtros, illa quam quærimus, differentia, quamvis in vocabulorum ſocietate quædam offundatur

datur velut umbra communionis. At inter *Episcopum & Presbyterum* distantia ne tenuissimis quidem differentiæ vestigiis adumbratur.

Nam quot & quantæcunque requiruntur in Episcopo qualitates, eædem non minori modulo ad complementum advocantur Presbyteri; sic ut eadem cura, eadem gratia, eadem dignitas, satis ostendant identitatem muneris, & officii paritatem. Quare Divus Petrus Presbyteros alloquens, 1 Pet. cap 5. ver. 2. ποιμαίνεσε, inquit, τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τῦ Θεῦ ἐπισκοπῦντες. Et Actor. 20. ver. 28. *Attendite vos ipsos*, inquit Apostolus, *& totum gregem, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos* ποιμαίνειν τὸν ἐκκλησίαν τῦ Θεῦ, &c. Quibus illa gemina sunt, quæ Epistola Titi, cap. 1. leguntur. His enim disertè Presbyteri dignitas & cum Episcopo paritas & æqualitas asseverantur, imò nihil à Presbytero alienum esse, quod ulli Ecclesiæ ordinario Pastori convenit. Cujus assertionis ratio vobis mira videri non debet, qui verbo ποιμαίνειν universam pastoris curam, officium, munus, dignitatem, & prærogativam includitis. Hinc enim Petro jusso ποιμαίνειν sceptrum & regimen in Ecclesiam, potestatem & arbitrium in superos & inferos, omnem denique vim & potentiam Pastoris contulistis. Quare cum hic eâdem voce tam efficaci ad pascendum Presbyteri provocantur, concludo nihil illis abesse, quod sibi Pastor ullus arrogare possit, omnia deniq; superesse, quæ pares Episcopis & æquales constituant. Sed hoc sententiæ vestræ velut consectarium fuerit.

Argumentum verò, quod ex his locis in vos intorqueo, tale est.

Quas

Quos Spiritus ſanctus in omnibus pares facit, inter illos nihil eſt differentiæ.

Sed Presbyteros & Epiſcopos Spiritus ſanctus in omnibus pares & æquales facit.

Ergo. Minorem ipſa locorum apertiſſima veritas roborat. Petrus enim omnibus univerſim *Presbyteris & Epiſcopis Dominationem* negat, *paſcendi curam injungit:* quibus mandatis cum omnia facienda Paſtori & non facienda, totáque muneris paſtoralis ratio continentur, & cum in his æquali ſint paritate, ſequitur ut *jure ſimul & autoritate* pares Epiſcopis habeantur Presbyteri. Sic Eccleſiæ Epheſinæ Presbyteros allocutus Apoſtolus, Epiſcoporum titulo ſingulos exornat. Non tamen alterum alteri Dominum imponit. Sed parem omnibus commiſſam ait vigilandi & paſcendi curam, & autoritatem regendi pacem. Quare cum Scripturæ vox humilis & modeſta paritatis admoneat; non opus eſt, ut ſuperbis & tumidis veſtrorum clamoribus diſparitatem jactantium magnopere moveamur.

Verùm priuſquam hunc locum miſſum facimus, neceſſariò reſpondendum eſt illorum ſtolidæ ferociæ, qui contendunt omninò nullum è Pauli verbis ſuppeditari argumentum quod *paritati* patrocinetur. Sic enim ineptiunt. Quamvis illo temporis articulo *par facies & æqualitas apparuerit*, haud diu poſt tamen *inæqualem & diſparem* paſtorum ordinem eluxiſſe; idque in ipſa Chriſti Epiſtola, quam ſcripſit *Angelo Eccleſiæ Epheſinæ*, Apoc. 2. Nam hic Angeli voce veſtri Epiſcopum denotari volunt penes quem Epheſinæ Eccleſiæ regimen & in Paſtores reliquos Imperium erat & poteſtas.

Quam-

Quamvis enim plures in una Civitate Presbyteri ſacra curarent; Unus tamen eorum κατ' ἐξοχὴν angelus, utpote cæteris Rector, decoro & ſignificanti Titulo honeſtatur; unde non tantùm *imparitas*, ſed Epiſcopi ſupra presbyterum eminentia luce clarior eſt. In hoc malè aggerato munimento, mirum quantum fiduciæ poſuerint homines veſtri. Sed tu non neſcis, quam inſtabile ſit illius ſententiæ fundamentum, quæ allegoricis & figuratis, non certis & dilucidis Scripturæ verbis nititur. Inſpiciamus tamen penitiùs, ſi quid ibi fortè lateat, quod vobis ſit uſui. Per Angelum ergo Eccleſiæ nonne Miniſtros intelligitis Eccleſiarum & Paſtores? Haud dubiè. In illo enim veſtri noſtriq; conveniunt. Rectè. Quid igitur impedit, quo minùs presbyter fuerit Angelus ille, quàm Epiſcopus? Jubet enim uni alicui literas inſcribi Dominus, qui reliquis faceret copiam: quod non ſolus, qualem vos fingitis, *Epiſcopus*, ſed quivis è cœtu coadjutantium presbyterorum poterat, cui decoris & ordinis tenendi gratia, non jubendi & imperandi autoritas, ſed in communi concilio, vicaria præſidendi dignitas collocata fuerit.

Quid me vetat ratiocinari pari confidentia? *Presbyter notatur voce Angeli, ergo presbyter præcellit Epiſcopo.* Certè ſic differentis neque tam præceps temeritas, & longè fuerit cordatior ratio. Nam presbyteri nomen ſemper apud Apoſtolos honoratum, comperias, Epiſcopi contrà nullo dignitatis ſplendore inſignitum: nec abi t ab illa conſuetudine uſus primitivæ Eccleſiæ, quam *communi presbyterorum conſilio gubernatam fuiſſe, patres ferè omnes & Pontificii Canones fatentur, antequam Diaboli in-*

ſtinctu

ſtinctu ſcinderetur in diverſa ſtudia. Sed hîc conſcientiam tuam interrogo; num Chriſtianæ ſit modeſtiæ & humilitatis, pro faſtu & ſuperbia vetiti imperii tam longè peticis & obtortis argumentis contendere? Locum Scripturæ vides in quo enarrando quiſquis ſuo abundat ſenſu: & cujus ſententia interim, qualiſcunque demum fuerit, opinioni veſtræ ne favet quidem. Hinc tamen ſibi colorem & fucum quærit ambitio. Alius angeli nomen collectivè intelligit pro toto Miniſtrorum cœtu. Hic pro uno paſtore cujus humeris totum onus ſuſtinebatur, dum aberant reliqui: Ille pro Præſide concilii ſuffragiis electo, qui præſidendo, ſententias rogando, referendoque conſeſſum moderaretur. Quare cum in tanta Interpretum varietate de ſenſu loci indubitato non conſtet, inſignis eſt temeritas ambiguâ Scripturæ ſententiâ munire Imperii vitium, quod diſtrictiſſimis alibi verbis Salvator vetuit. Eadem ratione proteri poteſt illa ſuperior objectio, *communitate* ſcilicet *nominum non tolli differentiam rerum.* Unde concludunt homines veſtri ὁ μάλα διαλεκτικῶς, Epiſcopum Presbytero digniorem & majorem eſſe, quamvis unum idemque nomen utriſque promiſcuum ſit. Sed quia Sophiſmatis illius vanitatem jam ante diſſlavi, ſufficiat dixiſſe ſi ſalvo rerum diſcrimine nomina communicentur, Epiſcopo Presbyterum majorem eſſe. Huic enim concluſioni ratio favent & omnia Logicorum ſubſellia. Sed invictioribus id argumentis poſt extorquebo.

Nunc nos revertamur ad Paulum, qui Eph. 4. recenſens præcipua Eccleſiæ munera *Paſtores & doctores* nominat, certè non omiſſurus eximium Epiſcoporum

piſcoporum ordinem & gradum, ſi quidem tunc inter presbyteros eminebat. Nam ipſi Papales Epiſcopi, quanquam ſuperbuli, presbyteris tamen parochis denegare Paſtorum nomen non ſuſtinent, utpote cum animas ſibi commiſſas pabulo verbi nutriant. Quæ ſententia, ſi vera eſt, debuiſſet Paulus inter paſtores diſtinguere, ſicut Apoſtolos ab Evangeliſtis, & hos ab ordinariis paſtoribus, diſtinxerat; Nam cum omnes hi paſtores eſſent, ſed graduum quadam diverſitate differentes, alium ab alio Paulus diſtinxit & diſſepſit, idem procul dubio facturus in Epiſcopis, ſi vocatio & munus illorum à munere & functione cæterorum presbyterorum diverſum abiret, vel gradu diſtinguerętur. Quamobrem examinato diligentius Pauli catalogo, dubium non erit Epiſcopos nomine Paſtorum contineri, quod presbyteris paſſim in Scriptura tribuitur: cujus omnia loca ne exoptiam, duo ſufficient: Act. 20. & 1 Per. 5. Verùm haud alienum fuerit ab hoc Pauli inſpecto catalogo qui quinque tantum gradus recenſuit, ambitioſam poſterorum diligentiam notare, qui fœcundi dignitatum & titulorum ſcaturigine, *Papas, Primates, Patriarchas, Cardinales, Metropolitanos, Archiepiſcopos, Parochos, minutos presbyteros, Archidiaconos, ſubdiaconos, præcentores, ſuccentores, concentores, Acolythos, Oſtiarios*, & infinitam in Eccleſia negotiantium & cauponantium turbam invexerunt. Et ita defunctus, quod primitus probandum ſuſceperam, ad ſecundum accedo.

Ius præſidendi ſcilicet *& ordinandi excommunicandique non ſolis Epiſcopis deberi jure divino*, quanquam illo ſibi arrepto ſupra ſocios ſemet arrogantiùs efferunt.

efferunt. At jus divinum hîc intelligo, non quod ex placitis & hominum opinionibus emergit, ſed quod è ſacris tabulis & cœleſtibus archivis depromitur, in quibus cum ne verbum, imò ne verbuli reperiatur apex, cui juris illius privilegium nititur, faceſſat inſolens illa juris divini oſtentatio. Quis enim niſi mentis impos exiſtimaverit, rem tanti momenti, è qua (ut veſtris placet) Eccleſiæ vita, ſalus, incolumitas, ſucceſſio, Pontifex, & tota familiæ concatenatio dependet, ab Apoſtolis fuiſſe prætermiſſam? quos nulla piacula ſolverent à ſupina negligentia, ſi juris illius tam neceſſarii mentionem facere omiſiſſent, quod homines veſtri tam operosâ diligentiâ & accurata induſtria proſecuti fuerunt. Sed hæc, ut noſti, ſine ſcelere ne quidem cogitari poſſunt. At argumentum, quod inde mihi ſubnaſcitur, tale eſt.

Ius illud in quo primaria dignitas Epiſcopi vertitur & quo Presbyteros excellit, aut erat Apoſtolicis temporibus, aut non erat. Si non erat; unde nunc emerſit? qua fronte vindicatur? quo colore defenditur? ſin erat; unius modò verbuli teſtimonium peto quo vel leviter probetur, quod tam audacter dicitur. Nam ſi debuit unus aliquis præfici & præſidere Presbyteris, qui Epiſcopus vocaretur, cur Apoſtoli Presbyteros ipſos, inſigniunt nomine Epiſcoporum? Obſecro curam & diligentiam eorum, qui de gradu Epiſcopali tantum ſolicitudinis induunt, ne ſeſe in ea parte gnaviores Apoſtolis aut diligentiores putent. *Sed dices communitate nominum non tolli differentiam rerum; itaque jus præſidendi, ordinandi & excommunicandi, ſolis Epiſcopis*

Epiſcopis fuiſſe commiſſum. At unde probabis Apoſtolorum tempore inter Presbyteros & Epiſcopos differentiam fuiſſe? Communitas nominum in ſcripturis ſacris obvia eſt, rei differentia nuſquam apparet. Ego contrà ſic rectè ſtatui puto; ubi plurima nomina ad rem eandem ſignificandam adhibentur, illic è vocabulorum communitate, rei quoque communionem colligendam eſſe. Non negant veſtri presbyteros in Scripturis ἐπισκόπους, πρεσβυτέρους, προϊσταμένους, ἡγουμένους, & id genus vocabulis naturam muneris exprimentibus ſignificari. Et quid igitur impedimenti mihi objicitur quamobrem è vocum illarum communitate ad ipſius muneris communionem non liceat ratiocinando procedere?

Cur enim unus ex iis, qui communi voce vocantur, ſibi arrogabit & nomen & jus Epiſcopi aut πρωτοῦ, cum omnes presbyteri dicantur Epiſcopi & πρωτεῦτες, & ab eodem Domino jus idem eandemque poteſtatem nacti ſint? Sic enim Paulus ad Timotheum Epiſt. 1. cap. 5. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habentur, ii maximè, qui laborant in ſermone & doctrina.* Ubi nunc ſuperior ille gradus Epiſcoporum? Excellentiſſimi in Eccleſia ſunt Presbyteri, qui tradendæ & propagandæ doctrinæ Evangelicæ incumbunt; Igitur Epiſcopis vel in ordinem Presbyterorum ingrediendum eſt, vel ab omni dignitate & excellentia Eccleſiæ exeundum erit. Quum enim Paulus ageret de honorandis Eccleſiæ Paſtoribus & Miniſtris ordinariis, eos procul dubio ſignificavit, qui primum in Eccleſiaſtico

ſiaſtico ordine gradum obtinebant. Eccui enim unquam in mentem venerit, Paulum, cum de honorandis Eccleſiæ Paſtoribus ſermonem haberet, prætermiſſo ſuperiori gradu de inferioribus tantùm facere mentionem? at Paulus eos honore præcipuo dignos aſſerit, non qui manus imponunt ordinandis, qui præſunt & imperant ordinatis (quæ dignitatum privilegia ſolis Epiſcopis injuſtè vendicant Pontificii) ſed *qui laborant in ſermone & doctrina.* Imò ne cui ſcrupulus hæreat, ipſis presbyteris legitimam illam & decoram Eccleſiæ præſidendi autoritatem concedit Apoſtolus, his verbis: *Qui bene præſunt presbyteri.* Quare mihi quidem liquere non poteſt, quæ ſit illa ratio, qua presbytero præferatur Epiſcopus.

Sanè deploranda illa, quam adhibetis diſtinctio, *Epiſcopi communiter & propriè accepti*, riſum magis provocat, quàm cauſam juvat: ubi eſt enim in univerſa Scriptura locus in quo nomen Epiſcopi propriè dictum (loquor è ſententia veſtra) alicui tribuitur, qui presbyteris ordinariis Eccleſiam doctrinâ juvantibus ſuperior eſt. Promiſcuè enim Epiſcopus dicitur & Presbyter, qui commodis Eccleſiæ pro juſſu & mandato Domini conſulit. Hinc enim eſt, quod Eccleſiis præpoſiti *Paſtores* nominantur, quia paſcunt gregem Dei. *Doctores*, quia rudes animos cœleſti doctrinâ imbuunt. *Epiſcopi*, quia mores, & doctrinam ſuorum inſpiciunt, obſervant & ſpeculantur: προεστῶτες, quia præſunt & præſident exempli & doctrinæ bonitate: *Duces*, quia reliquis ad cœleſtem patriam iter & viam præeunt. *Presbyteri*, quia gravitate & ſan-

& ſanctitate morum, quæ cum ſeris annis & canitie plerunque matureſcit, lubricam aliorum vel juventam vel incogitantiam moderantur.

Sed jam mihi probandum eſt, jus quoque ordinandi presbyteris conceſſum fuiſſe, quod hoc Teſtimonio evincitur: *ne negligito* (inquit Paulus ad Timoth. ep. 1. cap. 4.) *donum quod in te eſt, quod tibi datum eſt ad prophetandum cum impoſitione manuum presbyterii.* Ubi gratiam Timotheo datam ait imponentibus illi manum Presbyteris, qui in cœtum unum conſiliandi cauſa convenerant. Πρεσβυτέριον enim pro presbyterorum conſeſſu poni, tam verum & vulgatum eſt, quàm Senatum pro Seniorum Concilio intelligi. Presbyteros autem non pro ſolis Epiſcopis, ſed omnibus Eccleſiæ Præfectis poni, quis dubitet, qui verſum ſexageſimum ſextum capitis vigeſimi ſecundi apud D. Lucam & verſum quintum capitis vigeſimi ſecundi Actorum legerit? *Igitur cum à presbyterii ordinatum fuiſſe Timotheum affirmet Paulus, conſequens eſt jus ordinandi presbyteros habuiſſe mandato & inſtituto Dei, quanquam hominum artificiis & dolis idem poſtea fuerit derogatum.* Quo circa ſi differentia ulla inter Presbyterum & Epiſcopum detur (quam dari negamus) presbyteri certè ſuâ dignitate, quàm longiſſimè præcedent Epiſcopos; *Illis enim jus præſidendi ordinandique datum fuiſſe, his nullibi conceſſum, legimus.*

Sed quia nihil pertinaciæ veſtræ niſi magnâ contentione extorquetur, renovandum eſt certamen tibi pro tuorum Epiſcoporum autoritate, mihi pro dignitate presbyterorum depugnantibus. Sed ut ante dixi, nec plumbis Scho-

lz,

læ, nec rubiginoſis ingenii humani telis, ſed ancipiti Scripturarum gladio uſurus ſum, quo ſtrumam Epiſcopalis veſtræ ſuperbiæ fodiam. Ergo ad rem. Si diſcrimen ullum inter Epiſcopum & Presbyterum inveniri poſſit, dico Presbyteri dignitatem Epiſcopi decore longè illuſtriorem eſſe, & quidem nixus his argumentis.

Qui Chriſti tum mandatis, tum interdictis, & Apoſtolorum monitis diligentiùs obediunt, haud immeritò digniores habendi ſunt illis, qui laxis eadem auribus & negligentibus animis accipiunt. Sed presbyterorum exactior & addictior obedientia: ergo dignitas venerabilior. Majorem nemo negaverit, qui modò norit, in civitatis regimine civem bonum & principi ſuo fidum malè parentibus & imperium detrectantibus præferendum eſſe. Minoris in promptu probatio eſt. *Qui labore indefeſſo Evangelium prædicant, qui ſinceris Sacramentorum alimentis paſcunt gregem Dei, qui Megiſtanas & Principes terræ non æmulantur, qui imperium non exercent nec dominantur in Clerum (quorum hoc præcisè vetat, illud diſtrictè jubet Dominus dominantium) illi certè digniores ſunt illis, qui nec verentur in vetita irrumpere, neque poſthabere mandata. At presbyterorum in concionibus exactior labos, in ſacramentis diligentior aſſiduitas, in vetitis majos modeſtia. Quare Epiſcopis ſuſque deque utrumque habentibus digniores.* Majoris omni exceptione major eſt veritas. At minorem ipſa penitus probat experientia. Quotuſquiſque enim Epiſcoporum reperitur, cui vel voluntas docendi vel ſupereſt facultas? Quotuſquiſque Sacramentis adminiſtrandis, vel anniverſariam operam; aut diœceſi regendæ

anni trientem impendit ? At in vetito imperio quantâ licentiâ agunt ? ubi elatius supercilium ? ubi tumidior fastus ? ubi acerbior severitas ? ut facilè appareat illis imperare magis velle, quàm posse.

Nomen, quo dignitas & honor insignitur, præstantius est illo, quo labor tantùm & opus denotatur. Sed presbyteri nomine dignitas continetur. Majorem nemo negaverit, cui sinciput sanum est. Et de minore non dubitaverit, qui in Scripturis fuerit exercitatus, nam in illis hoc nomine soli decorantur, qui ætate & prudentia cæteris eminent. Unde Pauli illud effatum, 1 Tim. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur, & c.* Quo satis manifestum est, honorem & dignitatem eo nomine contineri, quod præmium & reverentiam promeretur. Jam verò laborem & onus & curam & solicitudinem Episcopi nomine contineri, non mihi dicenti, sed Paulo affirmanti crede. Sic enim ille Actorum 20. v. 28. & 1 Tim. 3. v. 1. *Qui Episcopatum appetit, ille bonum opus desiderat.* Bonum quidem opus, sed opus tamen, cura, vigiliis, solicitudine plenum. Rursus idem ad eundem, 1 Tim. 5. *Adversus presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus:* Quasi dicat homines tali honore & dignitate tem erè nec accusandi, nec accusatio eorum ad cognitionem facilè admittenda est : quod ipsum capite eodem diligentiùs adhuc exprimit. *Presbyterum,* inquit, *ne increpato, sed hortare ut patrem.* Quemadmodum enim omnis honor & reverentia parenti debetur à filio ; sic omnis observantia & cultus à fidelibus præstandus est presbytero. *Firmum igitur ratumque est, nomen presbyteri*

byteri dignitate plenum, nomine Epiſcopi laboris & curæ referto longè excellentius, ipſumque presbyterum Epiſcopo potiorem eſſe. Sed aliud præſto eſt argumentum. *Nomen illud, quod ſemper priori loco collocatur quoties cum Epiſcopi nomine conjungitur, illud & dignius eſt & præſtantius. Sed Presbyteri nomen ſemper primas tenet. Ergo.* Sanè quod majorem repudies nihil cauſæ eſt: Sic enim veſtri, cum Petri oſtendent eminentiam, à præpoſito Petri nomine deducunt argumentum. Minorem verò ex ipſis Scripturæ verbis ad oculum demonſtro. Sic enim Actor. 20. v. 17. *Miſſis autem Mileto nunciis Epheſum: accerſivit presbyteros Eccleſiæ*, quibus v. 28. ait inſpectionem Eccleſiæ commiſſam fuiſſe, quos ea quoque de cauſa Epiſcopos vocat. Et ad Titum idem ait, cap. 1. v. 5. *Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ reliqua ſunt pergas corrigere & conſtituas oppidatim presbyteros*; & v. 7. *Oportet enim Epiſcopum inculpatum eſſe &c.* Sic ipſe Petrus 1. ep. cap. 5. v. 12. *Presbyteros*, inquit, *qui inter vos ſunt, precor ego presbyter ac teſtis afflictionum Chriſti,* ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ ἐπισκοποῦντες. *ubique presbyter Epiſcopo prior ratione loci; potior ergo dignitate.* Sic Divus Johannes ſe bis Presbyterum, & D. Petrus ſemet Synpresbyterum vocat, utpote quo in nomine cumulus & apex continetur Eccleſiaſticæ dignitatis. Superſunt alia rationum robora.

Illi ad quos in rebus arduis, controverſiis implicatis, diſſidiis periculoſis primitiva confugiebat Eccleſia: quibus aderat præſens & auxiliator Spiritus: qui decretis è cœtu ſuo emanantibus moderabatur Eccleſiam: quos ſibi ſocios & collegas in Conciliis generali & provinciali adſciſcebant Apoſtoli, qui ſecundum in Synodis

dignitatis locum obtinebant : illi certè præclariori dignitate habendi ſunt, quàm cæteri Eccleſiæ Miniſtri, qui neque nomine neque loco in Conciliis conſpicui ſunt aut notabiles. Sed presbyteri tales ſunt. Ergo Epiſcopis digniores. De Majore veſtri dubitare nec poſſunt nec debent, qui dignitatem in Epiſcopos ſuos conferunt pro gradu & loco, quos in Conciliis obtinuerunt. Minorem è Scriptura ſtabilio. Actor. 15. ver. 2. *Orta igitur ſeditione ac diſceptatione non exigua, &c. ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas & quidam alii ex illis ad Apoſtolos & Presbyteros Hieroſolymam de hac quæſtione.* Et ver. 6. *Congregati ſunt Apoſtoli & Presbyteri ut diſceptent de hoc negotio, &c.* Hinc luce clarius eſt, Eccleſiam obortâ diſputationum implicatarum caligine confugiſſe ad Presbyteros, ut eorum radiis diſcuterentur : Eoſdem Apoſtolorum ſocios, dignitate proximos, & officio illuſtres fuiſſe.

Sed animum ad ſequentia adverte: v. 22. *Tum viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris cum totâ Eccleſiâ, delectos ex ſe viros mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, &c.* ver. 23. *Et iſta per manus eorum ſcribere : Apoſtoli & Presbyteri & fratres iis qui ſunt Antiochiæ ſalutem.* ver. 25. *Viſum eſt nobis concorditer coactis &c.* ver. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, &c.* Quibus omnibus Presbyterorum dignitas, Spiritus Sancti præſentia, decretorum faciendorum poteſtas, factorum promulgatio, totaque denique Syllogiſmi Minor diſertiſſimè probantur. Viſne quid amplius ? Nondumne moroſitati tuæ ſatisfactum eſt ? Videſne uſquam tuos Epiſcopos ? Quæ illos nubes operuit in hoc generali Concilio ? Quibus illi latebris occuluntur, dum

tantâ

tantâ celebritate, tantâ frequentiâ Synodus aperitur ? Quid hoc rei eſt ? Num generale Concilium habetur ſine Epiſcopis ? Quàm novum hoc & inſolitum vobis, qui ſolis Epiſcoporum togis effarcitis Concilium ? Sanè nos hoc exemplo moniti non verebimur aſſerere, Presbyteros dignitate Epiſcopis potiores eſſe, & Concilia generalia ſine Epiſcoporum affluxu ritè celebrari poſſe.

Sed operæ pretium eſt videre, num in ipſam provincialem Synodum fuerint vocati. De ea re ſic accipimus Actor. 20. v. 17. *Miſſis autem Mileto nunciis Epheſum accerſivit Presbyteros Eccleſiæ.* Hîc liquet in re graviſſimâ ſine Presbyteris nihil ab Apoſtolis tentatum fuiſſe, Presbyteros Apoſtolis in omni conſultatione ſocios, in deliberationibus proximos eſſe : Minori denique ſatis & abundè aſſerta, concluſionem meam immobilem eſſe. Sed hoc in loco aſſurge paulum & intuere non Petrum, ſed Paulum Eccleſiæ Rectorem & Monarcham. Non enim Petrus hîc decreta, quibus univerſa obtemperet Eccleſia, ſed Paulus facit. Imò reſpice concilium, haud dubio legitimè vocatum & tamen inconſulto Papâ. Animadverte denique datam presbyteris autoritatem exigendi lupos rapaces è grege Dei. Sed forſitan dices, in Provinciali hoc concilio interfuiſſe Epiſcopos. Ego reverà non nego. Sed quinam erant illi, qui Epiſcopi vocantur ; nonne iidem qui Presbyterorum nomine antè denotantur ?

Huc ergo recidit tua pertinacia, ut poſito inter Epiſcopum & Presbyterum diſcrimine, fatendum habeas, Epiſcopi dignitatem infra Presbyterum

eſſe, quod præfractè negaſti, vel Epiſcopum & Presbyterum unum idemque muneris & autoritatis nomen eſſe, quod invitus concedis. Et certè cum Scriptura ſentienti non major inter Presbyterum & Epiſcopum differentia erit, quàm cum vulgo loquentibus inter Eccleſiæ Miniſtrum & Eccleſiæ paſtorem diſcrepantia eſt. Sunt enim Synonyma. Sic poſita tandemparitate imò, indentitate Presbyteri & Epiſcopi, quam immanis abſurditas eſt aliquid Epiſcopo concedere, quod Presbytero denegas ? Huic jus præſidendi, ordinandi & excommunicandi negas ; tribuis illi. Quænam eſt paritas, ubi unus ad omnia Eccleſiæ officia admittitur, alter iiſdem excluditur ? Certè ſi divina vos non movet autoritas, moveat ratio, ne degeneretis in Belluas. Jamdudum Presbyteris maxima conceſſiſtis, cur arcetis illos minoribus ? Diabolos ejicere, Chriſtum è farina fingere, inter tralatitia opera eſt. Num regimen Eccleſiæ, num ordinatio Miniſtelli, vel excommunicatio improbi tam arduum, tam myſticum eſt, ut non debeat his committi, quibus in cœlum & inferos poteſtatem dediſtis ? & tamen his non conceſſis corruit, quam faſſus es, paritas.

Verùm ſicuti jam ante, nequicquam frendente arrogantiſſima veſtra ignorantia, probavi Presbyteris jus præſidendi ordinandique datum fuiſſe, & Epiſcopis nullibi conceſſum ; ita nec arduum eſt evincere *poteſtatem excommunicandi* Presbyteris competiſſe, utpote præconibus Euangelii, & ligandi ſolvendique autoritate inſtructis, omniaque in Eccleſiæ cura & Sacramentorum miniſterio munia obeuntibus, quæ ab exercitatis maximè

Epiſcopis

Epiſcopis exerceri poſſint. Igitur cum claves acceperint Regni cœlorum, excommunicandi facultas, quæ clavibus his potiſſimùm utitur, conceſſa ſimul illis & attributa fuit. Quod in negotio inceſtuoſi illius 1 Cor. cap. 5. facilè indicatur, ubi Eccleſiæ facultatem ejiciendi nequam hominem concedit Apoſtolus.

Quid ad hoc homines veſtri regerunt? Sanè lepidum aliquid & nunquam ſatis ridendum. *Septem ſtellæ* inquiunt, *Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*, Apocal. 1. ver. 20. hoc eſt, pictorum more humano capiti cervicem equinam jungere? Quæ hic cognatio rerum, quæ affinitas, quæ connexio? Quid hoc portenti eſt? *Septem ſtellæ ſunt ſeptem Angeli: Ergo Epiſcopus major eſt Presbytero.* Si ullâ eſt in beſtiis ratio, crede ſic aſinos diſſerere. Et tamen hic ratiocinandi modus vobis perfamiliaris eſt. *En* inquit Petrus, *duos gladios.* Ergo ſubjungit carduis paſta dialectica; papa poteſtatem habet temporalem & ſpiritualem. *Tibi dabo claves*, inquit Chriſtus, alloquens Petrum. Ergo papa eſt caput Eccleſiæ. *Paſce oves.* Ergo papa eſt Rex, Monarcha & Dominus Dominantium. Videor audire, quod apud nos pueros in Scholis logicorum cachinnis exſibilabatur. *Baculus ſtat in angulo, ergo Sacerdotes non debent nubere.* Credo te ad hæc flagitia, quanquam ſis ferox, ingemiſcere. Noſti enim ex loco allegorico nihil ſolidè concludi, vetus enim & uſu probatum, *Theologiam ſymbolicam non eſſe argumentativam.* Deinde quanquam per ſtellas intelligantur paſtores Eccleſiarum, quid hoc ad probandam epiſcoporum ſupra presbyteros eminentiam?

Sanè non inconcinnè paſtores ad Eccleſiam, nec illiberali metaphorâ referantur. Cum. n. Eccleſiæ comparentur candelabris, rectè Miniſtri illarum comparantur lucernis, utpote quorum officium eſt prælucere cæteris, tum puritate doctrinæ, tum innocentiâ morum. Mat. 5. ver. 15. Joh. 5. ver. 35. Cum Eccleſia comparetur cœlo, Miniſtri ſtellis non abſurdè aſſimilantur. Cum Eccleſia vocetur regnum cœli, non abſonum eſt Miniſtros ejus Angelorum nomine decorari. Sed hæ voces illis impoſitæ non ſunt ad provocandam ambitionem, ſuperbiam & appetitum dominationis in ſocios: ſed ad repetendam renovandamque muneris & officii ſui memoriam, ad excitandum ſtudium promerendæ tantæ dignitatis; ad excitandam induſtriam, qua reſpondeant ſpei de ſe conceptæ, qua ſatisfaciant denique expectationi ſui, Col. 4. v. 17. 2 Tim. 4. v. 3. *ut ſervent depoſitum*, 1 Tim. 6. ver. 20. *quod curæ illorum commiſſum eſt*: ut immaculata luce morum & doctrinæ populum Dei, velut Stellæ irradient. 1 Tim. 3. ver. 2. ut memores acceptæ à Deo erga fideles cuiæ (Pſal. 91.) cum fide & diligentia Angelorum inſtar exequantur creditum ſibi munus, in ſalutem eorum quibus famulari juſſi ſunt. Heb. 1. v. 14.

Imò his ipſis vocabulis diligentia eorum & fides de præmio & ſolatio admonentur. Nam cum ſtellæ ſunt in dextra Domini, de præſidio & tutela certi ſecurique ſunt (Joh. 10. v. 28.) quis enim illos eruat è manu potentis?) quamdiu hauſtam à Sole juſtitiæ lucem ſinceram & nitidam in populum ſibi traditum transfundunt. Dum Angeli ſunt, nuncii, legati Dei de præmio navatæ operæ dubi-

tare

tare non poſſunt, ſi nihil ad fidem & induſtriam in perfungenda legatione reliqui fecerint. In hos uſus & hæc commoda fulgentibus his titulis Miniſtri decorantur : non ut illis in ſuperbiam abutantur, & faſtum ſibi indecorum, aliis gravem, quod Epiſcopis veſtris in more eſt, qui locum omnem, dignitatem omnem ſibi vendicant, & Miniſtris reliquis nihil concedunt, niſi quod tenuiter admodum & malignè ab illis defluit & ſcintillat. Nam ſicut in Apocalypſi Aſiaticarum Eccleſiarum Miniſtri ſtellæ vocantur, ſic omnes ubique omnium Eccleſiarum paſtores, dum ipſi ſanctitate fulgentes facem aliis præferunt, ſtellæ ſunt & meritò vocantur. Fulgent enim in oculis Eccleſiæ; Sed unum enixè bonis cavendum eſt, ne ſtudio magnificentiæ & ambitione temeraria ſplendorem fratrum ſociorumq; conentur præſtringere. Quo crimine cum Epiſcopi veſtri jamdudum infames ſint ; eâdem objurgatione flagellandi ſunt, qua Diotrephes olim eâdem inſaniâ percitus à Divo Johanne perſectus fuit. Epiſt. 3. Et hæc quidem pro tuenda presbyterorum dignitate, refutandaque tuorum Epiſcoporum ſuperbia, dicta ſunto.

Jam ad objectionum tuarum poſtremam accedo. *Tito*, inquis, *& Timotheo non nego jus ordinandi & excommunicandi, utpote Epiſcopis & ſpeciali Apoſtolorum voluntate id juris conſecutis.* Quod effatum quibus Scripturæ teſtimoniis innixum ſit, agedum videamus. Paulus *reliquit Titum*, inquis, in *Creta*, hoc eſt, præfecit illum Eccleſiæ Cretenſi Epiſcopum, & 1 Tim. cap. 1. *Rogavi te*, inquit Paulus, *ut remaneres Epheſi, & manus ne cui citò imponito*, & 1 Tim. cap. 5. *Adverſus presbyterum accuſationem ne admitti-*

to. *nisi sub duobus aut tribus testibus.* Hinc, inquis, manifestum est Timotheum & Titum Episcopali dignitate & potestate instructos de ordinandis & judicandis presbyteris autoritatem accepisse, post. quam ille Epheli, hic in Creta constituti essent ab Apostolo Episcopi. Sed priusquam argumenti nodum, si quis forte sit, exscindimus, intueri primò decet num ea quæ dicuntur, vel Tito vel Timotheo convenire possint. Est enim hoc receptæ veritatis, Episcopo sedem certam in quâ suo munere fungeretur assignatam fuisse: Jam verò quis nescit Titum & Timotheum Pauli Comites & peregrinationis socios sedibus incertis jactatos varias orbis partes perambulasse, non magis hujus quam illius gregis curæ invigilantes.

At Episcopis & ordinariis Ecclesiæ pastoribus mandatum sibi loci vel gregis curam deserere nefas erat. Hinc illæ hortationes. 1 Pet. 5. *Pascite Dei gregem qui penes vos est.* Tit. 1. *Constitue presbyteros oppidatim.* Act. 20. *Attendite vos ipsos & totum gregem Dei, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos ad pascendum Ecclesiam Dei.* Sua enim cuique Episcopo Sparta quam ornaret, à cujus statione discedere cœlestis militiæ flagitium est. Igitur qui Timotheum & Titum, imò Petrum ipsum & cæteros Apostolos fuisse somniant Episcopos, næ illi Domestico præconio suæ ignorantiæ testes convocant. Nam Episcopum qui ponit, & paræciam ponat necesse est, sine qua dari nequit Episcopus: Hanc autem ubi gentium Petro & Paulo, & Timotheo, & Tito daturi sint homines vestri, relinquo illorum audaciæ qua nullam non veritatem adulterant. Nobis hoc certum est, Apostolos & Evange-

Evangeliſtas non particulari populo, ſed toti gentium univerſitati datos Doctores, pro rei uſu et mandato Domini, modò huc, modò illuc converſo itinere omnium commodis et ſaluti juxta conſuluiſſe: quare non inepti tantum, ſed & impii judicandi ſunt qui dominationis ſuæ ſtabiliendæ gratia, Apoſtolos & Evangeliſtas ex ſuperiori dignitatis ordine, ad Epiſcopatum detrahere non verentur.

Sed ipſa jam Pauli verba ponderemus. *Reliqui te* inquit, *in Creta*. Rectè, Quid jam? Num igitur Cretenſis Epiſcopus ilicò prodit, quia relictus in Creta? Nihil tale extat in Apoſtoli verbis: è quibus hoc apparet breviuſculæ moræ cauſa, & peragendi ſpecialis negotii relictum in Inſula Titũ. Subjungit enim. *Quum miſero Artemam ad te, aut Tychicum, ſtude venire ad me Nicopolim: Nam illic decrevi hybernare.* Reſpondent veſtri è patrum ſcilicet ſententia Cretenſem Epiſcopum fuiſſe Titum, ſed ob id à Paulo accerſitum, ut inſtitutis & præceptis illius imbutus, ad ſuos rediret doctior. Honeſta oratio. Sed cur amabò gregem ſuum Titus deſereret ut Pauli colloquio erudiretur, cum hac ipſa Epiſtola ſatis ab Apoſtolo inſtituatur: cum & aliæ, ſi quid monendum ſupereſſet, commeare poſſent Epiſtolæ? Num hoc in more poſitum Paulo fuit erudiendos ad ſe vocare? Nonne doctrinæ & inſtitutionis indigentibus ipſe ſolitus ultro accedere: & ſi quando retardaretur, ſuæ præſentiæ defectum literarum vice ſupplere? Sed quid in re perſpicua verbis abutimur? Ipſe Paulus jam morti vicinior *Titum à ſe in Dalmatiam profectum fuiſſe teſtatur*, 2 Tim. 4.

Et

Et quod in negotio Titi jam reſponſum eſt, idem in Timothei cauſa valet, *quem rogavit* Apoſtolus profecturus in Macedoniam *ut remaneret Epheſi.* Nec enim hanc conſecrandi Epiſcopi formulam, ut opinor, agnoſcitis, nec rogandus videri poteſt Timotheus ut in parœcia ſua remaneret, ſi curam ejus Epiſcopalem jam ſuſceperat, niſi fortè putes Timotheum eo vitio laboraſſe quo jam plerique veſtrum laborant, quibus Ætna gravius onus videtur parœciæ ſuæ curis & muneribus alligari. Sanè ipſa loquendi ratio ſatis arguit, ob id rogatum fuiſſe Timotheum ut Eccleſiam illam præſentia ſua firmaret. Quod ne videar ſine idonea autoritate effari, inſpice Hiſtoriam Divi Lucæ, qui cap. 20. Actor. narrat, quemadmodum Paulus confecto illo itinere, cujus ipſe meminit in prima ad Timotheum, eundem ſibi rurſus itineris & peregrinationis ſuæ ſocium aſciverit. Nec obſcurum eſt quod inſtante jam Martyrii triumpho Paulus illum evocaverit Romam. 2. Epiſt. Timoth. cap. 4. *ſtude venire ad me citò: Nam Demas me dereliquit.* Et in Epiſt. ad Hebræos: *Scitote Timotheum fratrem noſtrum liberatum eſſe, cum quo ſi celeriùs venero, viſam vos.* Quare te jamdudum confitentem audire videor quod Epheſi non ſubſiſterit; quo conceſſo corruit Epiſcopatus qui ſine certa fixaque ſede nullus eſt. Sed de Timotheo & Tito Pauli ſive Miniſtris ſive συνέργοις (utroque enim nomine vocantur. Actor. 9. 1 Theſſ. 3.) quos homines veſtri fingunt Epiſcopos fuiſſe, pro modulo literarum, ſatis dictum eſt.

Nunc ad examen vocandum eſt aliud tuum argumentum, quo Epiſcopi ὑπεροχὴν probare ni-

teris

teris è verbis Divi Pauli. 1 Timoth. 5. *Adverſus Presbyterum accuſationem ne admittito, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Ubi tamen parum animadvertis te principium petere. Negamus enim & cum ratione pernegamus, Timotheum fuiſſe Epiſcopum. Argumenti tamen tui vim ſpectemus. *Iudex*, inquis, *ſuperior eſt iis quos judicat.* Sanè. Sed quid inde concludis ? Enimvero ſi Divus Paulus in perſona Timothei cunctos officii ſui monitos voluit Eccleſiæ Paſtores, nihil ex hoc loco ſtabilimenti accedet tuis Epiſcopis : Sin autem Timothei perſonam urges, eamque no egrederis, quid efficis ni ſi Timotheum reliquis ſuperiorem fuiſſe ; quod à noſtris non negatur: erat enim Divi Pauli σωτεργὸς & laborum ſocius, & particeps Apoſtolici muneris, conſors Evangeliſticæ dignitatis. Hoc tamen in loco ſi diligentius circumſpicimus apparebit, nec ipſi Timotheo Regiam, abſolutam & ἀνυπεύθυνον, judiciorum poteſtatem in Eccleſia conceſſam. Sed omnia ordine legitimo conſuetoque Eccleſiæ moderamine temperanda fuiſſe. Sunt enim hæc ipſius Pauli verba. 1 Corinth. 5. *Nonne de iis quæ intus ſunt vos judicatis* ? Quæ verba ſpectatiſſimi quoque veſtri ordinis de Miniſtris & Paſtoribus quibuſvis dicta interpretantur. Quare quemadmodum non ſolius Timothei partes erant peccatores & reos coram omnibus reprehendere : quanquam eo loci ſpecialiter facere Timotheus jubetur: ita non ſolus Timotheus judicare Presbyteros, ſed cum aliis unà ſimul Miniſtris debuit. Quare axioma illud tuum de Judicis Superioritate nonnihil vacillat. Licet enim judicare ſit aliquid majus quàm judicari, tamen non ideo Judex ſemper judicato major eſt.

eſt. Poteſt enim Senator ab ordinis Senatorii viris judicari; imo Regum cauſæ ab iis judicibus diſceptantur, quos & legit ipſe Rex, & judiciis præfecit. Quare & illius argumenti impetum frangi vides.

Sed repetamus argumentum, quo Titum & Timotheum Epiſcopos *propriè dictos* fuiſſe contendis, eoque nomine poteſtatem ordinandi obtinuiſſe. Sic ais, monet Timotheum Paulus 1 Timoth. 3. *ne cui manus citò imponat*; Tito mandat, ut *in Creta conſtituat Presbyteros*, unde concludis audacter, eos ſolos ordinandi jure polluiſſe. Qua in re ſi te falli dixero, noli putare me quicquam derogare judicio tuo, quod acutum & acre eſt; Sed incuſare ſtudium in te & affectum cauſæ quibus à veritate tranſverſus raperis: credis enim χειροθεσίαν Presbyteris negatam, ſolis Epiſcopis propriam eſſe, eo quòd Timotheus apud Epheſios, Titus apud Cretenſes impoſitione manuum Eccleſiæ Doctores, velut auſpicatò, ad munus ſuum admittebat. Mendosè. Nec enim ſequitur id presbyteris Epheſinis negari, quod Timotheo præcipitur: jubetur quippe aliàs Timotheus *lectioni, exhortationi, doctrinæque attendere*. Et alibi Titus, *ſanam Doctrinam docere*: quæ ſi Presbyteris ideo velimus interdicta fuiſſe, ſanè riſu puerorum refutabimur. Hoc enim luculentiſſimis monumentis conſtat in veteri Eccleſia moris fuiſſe, ut à pluribus manus imponerentur. Sic ſeptem viris illis, quos Diaconi nomen primos nobilitavit, non unus ex Apoſtolis, ſed Apoſtoli manus impoſuerunt. Actor. 6. Sic Paulo & Barnabæ manus impoſitæ fuere ab iis, qui Antiochenam Eccleſiam adminiſtrabant.

ſtrabant, Act. 13. Sic Timotheo non unus modo Paulus, ſed πρεσβυτέριον manus impoſuit. Quare genus illud argumentandi perabſurdum eſt. *Timotheus & Titus impoſuerunt manus ; Ergò impoſuerunt ſoli : Sechuſis ab hoc jure cæteris Preſbyteris.*

Non diffiteor tamen ſubinde temporis & rerum lapſu auctis jam ubique in numeroſam multitudinem Presbyteris, unum aliquem ex iis electum fuiſſe, qui cæterorum nomine & vice manus ordinandis imponeret. *Sed ab initio* (de quo jam quæritur) *non fuit ſic.* E qua paulatim conſuetudine Epiſcopi dignitas & ſuperioritas adolevit; factumque ut non presbyteri modo, ſed Reges ipſi & Principes incredibili rerum humanarum ludibrio, novæ hujus & monſtroſæ poteſtatis audacia proculcarentur. Cæterùm ſi tibi largiar Timotheum apud Epheſios, Titum in Creta ſolos impoſitione manuũ uſos fuiſſe, nihil inde cauſa tua vel unctior erit, vel melior: Nec enim id Epiſcopali authoritate, ſed Apoſtolica poteſtate feciſſe judicandi ſunt ; erant enim Apoſtolicæ curæ Vicarii. Nec audio nunc, quæ de veterum ſententia ambitioſius ingeris : licuit illis abundare ſuo ſenſu. Mihi ſanè videtur ineptum magno conatu & labore puteos effodere Traditionis humanæ, cum pateat profluens divinæ veritatis.

Sed hæc refutandæ illius argumenti conſequentiæ dicta ſunto : antecedentem examinemus, ſed præfati ſtatim in introitu χειροθεσίας nomine totã electionem contineri. Nec enim ea Pauli mens eſt, ut Timotheus & Titus, omiſſis omnibus aliis, quæ ad peragendam ritè electionem ſpectant, ſoli manuum

manuum impoſitioni vacarent: quorſum enim ea quæ in Epiſcopo eligendo requiruntur, tam accuratè, tam diligenter, paulò ante deſcripſerat? Certè non ſolas manus, ſed oculos & aures & animi judicium requirebat Paulus, ut fama ſpectatus, moribus probatus, nec ſubdola virtutum ſpecie, ſed vivis coloribus eniteſcens, Eccleſiæ regimini admoveretur: electionis verò curam Timotheo & Tito ſolis incubuiſſe quis affirmet? Nulli pontificiorum adeo frons deperiit, ut hoc audeat? ultro ſemet ingerente vel in oculos invitos veritate, non aliter ſcilicet antiquiſſimis temporibus Eccleſiæ Antiſtes, niſi Cleri totius judicio & plebis univerſæ conſenſu electos fuiſſe, ſic ut meritò dici poſſit omnes eccleſiæ præfectos in Timothei & Titi perſonis officii ſui hoc loco monitos eſſe. *Quis enim ſanus hoc argumentum ferat? Paulus Timotheo & Tito præcipit, ne cui manus citò imponant: Ergò præter illos nemini jus fuit ordinandi?*

Nonne pari ratione dixerim? Tito præcipitur *ſana doctrina, ergo reliquis à ſanitate Doctrinæ deſiſtendum eſt.* Sed hæc flagitioſa ſunt; Quanto rectius illud, Timotheo & Tito præſcriptam fuiſſe officii rationem, ut in hos tanquam in ſpeculum cæteri intuentes, ſui quoque muneris inſtituta & leges addiſcerent. Sed quod Timotheum & Titum, hunc Cretenſem, illum Epheſinum Epiſcopum fuiſſe contendis (loquor de tali epiſcopatu qualem vos procuditis) nullo ſcripturæ teſtimonio nititur, imo diſertis Pauli verbis evertitur. *Rogavi te ut maneres Epheſi, quum proficiſcerer in Macedoniam. Et reliqui te in Cretâ.* E quibus apertum eſt Timotheum & Titum temporis exigui moram ordinandis

Eccleſiis

Ecclesiis illis ex Apostoli mandato impendisse. Nam commoratus Ephesi Timotheus à Paulo post trimestre è Macedonica & Græca peregrinatione reverso in Asiam comes expeditionis sanctæ assumitur; brevis igitur in Epheso Timothei mora & minimè episcopalis. *Iam verò Titum iviſſe Nicopolim* Tit. 3. & postea *in Dalmatiam profectum fuisse*, 2 Timoth. 4. Paulus ipse testatur. Quod autem Paulus hac succedanea Titi & Timothei opera fuerit usus, à nemine negatur. At Timotheum omnium ecclesiarum ad quas ille veluti legatione functus est episcopum facere, hoc demum foret operosum hominem et multiplicem fingere. Nam et Corinthii et Philippenses et Thessalonicenses et Ephesii hunc sibi præsulem vindicabunt; certabuntque non pauciores de hujus episcopatu Ecclesiæ, quàm de natalibus Homeri contendunt urbes.

Sed à te quærendum puto quid scilicet excedentibus Epheso et Creta duobus his legatis factum fuerit illo præcepto *ne temerè manus imponerentur*? Exolevitne? Quis porro postquam illi alio cō migrassent, ordinandis quotidiè Ministris præerat? Credendumne χειροθεσίαν apud has ecclesias desuetudine intermortuam fuisse? Quid ais? operum tuorum est hæc dubia solvere. Jam verò et aliud extricandum occurrit, cur Paulus convocatis Ephesinis presbyteris Actor. 20. In gravissima illa exhortatione nullam episcopi faciat mentionem, numquam eum nominatim appellet, cum tamen ille si cura et dignitate reliquis præcelleret, speciali nomine excitandus videretur: at Paulus omnes generatim presbyteros allocutus, *vos* inquit, *Spiritus*

Spiritus Sanctus constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei, præsente tamen Timotheo et itineris comite : ut arduum, ita splendidum munus (si suis humeris Ephesini episcopatus molem sustineret) aut aliàs opportunius effulgescere debuit, quam quum Paulus tam piè de salute ecclesiæ concionatus ad labores et vigilias præfectos cohortando obarmaret. Sed ne nosmetipsos his quæstionibus afflictaremus, D. Paulus ipse disputacibus ingeniis omnem ansam eripuit, quum verbis expressis Timoth. appellat Euangelistam. 1 Tim. 4. qui gradus in ecclesia momentaneus fuit ab ordinarii pastoris munere diversus. Ephes. 4. Quare fatendum quidem est Timotheum et Titum pastores Doctoresque fuisse, sed Ecclesiarum et magnæ illius fidelium omnium universitatis. Non hujus Ecclesiæ, nec certè illius aut definiti loci : Damnandus autem vel error aliorum, vel increpanda malitia, qui Timothei et Titi exemplis ad primatum episcopalem stabiliendum abutuntur : Sed admiranda præcipuè vis veritatis, quæ sæpè ab hostibus suis voces extorquet, quibus ipsi se jugulant. Hinc enim Remenses 20. Act. haud diffitentur Apostolicis temporibus inter episcopos & presbyteros nihil fuisse differentiæ, & rem eandem vocibus diversis exprimi. Quocirca & sacræ Scripturæ oraculis innixi, & adversariorum confessione adjuti non dubitabimus, papæ tyrannidem, quâ sociis insultat, quâ ecclesias exagitat, quâ Superiores suos ludificatur, ut impiam & scleratam fugere & detestari.

Quæstio tertia supereſt. NUM EPISCOPI PAPALES SINT VERI EPISCOPI?

COPI? Si enim tibi conceſſerim, Romano Pontifici jus eſſe imperandi Eccleſiis, & quidem divina nixum authoritate? Si porro mera quadam liberalitate tibi dederim, Epiſcopum jure divino presbytero majorem & ſuperiorem eſſe, magnus tamen nos urgebit ſcrupulus, num Epiſcopi veſtri revera ſint Epiſcopi, an ſpecie tantum & umbra nominis Epiſcopos ementiantur: carent enim omnibus illis requiſitis, quæ Epiſcopum abſolvunt, non fumo tituli, ſed luce muneris ſplendeſcentem. Ab hoc enim ordiri principio convenit, neminem jure dici poſſe Epiſcopum, qui non eſt revera Epiſcopus, nec enim de nominis umbra, ſed ſubſtantia rei quæritur. Igitur cum de legitimo Epiſcopo diſceptatur, non id reſpicimus quomodo vocetur, ſed num id quod tali nomine vocatur, in ſe contineat. Quare cum D. Paulus Epiſcopatum indigitat *opus*, ipſa ratio concludit, ubi nec opus, nec munus, neque functio eſt, ibidem Epiſcopatum non eſſe.

Sed ut diſtinctius agamus, duo conſideranda ſunt, quæ Paulus requirit in Epiſcopo, unum eſt legitima vocatio, alterum legitimi muneris functio: quorum altero vel utroque ſi careant Veſtri, actum eſt ilicet de Epiſcopatu, licet mille titulorum verſicoloribus plumis ſuperbiat. Jam vocatio qualis eſſe debeat, ed ſſerit Scriptura; ut eligendi probentur mores, ſpectetur doctrina, ut probatus exinde ſpectatuſque non niſi conſenſu eorum, quibus præfuturus eſt imponatur regimini: ejuſdemque Scripturæ legibus functionis ſanctimonia ſancitur, ut gemino Verbi divini pabulo gregem nutriat, Sacramenta ex inſtituto Domini, non cereb i ſui

commento

commento adminiſtret, ut firmet bonos, arguat malos, ſoletur infirmos, vitia denique verbi & diſciplinæ gladio amputet, exſcindat. Hæc Epiſcopi functio hoc munus eſt : hæc qui præſtiterit, is demum magnus & illuſtris, quanquam inopis & ignobilis ruris angulo deliteſcat, apud pios, apud Angelos, apud Deum futurus eſt. Hæc qui neglexerit, licet & latè imperitet, & immenſos reditus colligat, nec Dei Servus, nec Paſtor, nec Epiſcopus eſt. Quomodo enim ſit Epiſcopus, qui non exercet Epiſcopatum ? Itaque non quæro de veſtris boni maline, ſed num reverà Epiſcopi ſint ? Quî enim eſſe poſſint, quos neque vocatio, neque functio legitima idoneos facit? Num miles eſt qui Sacramentum non dixit, qui nunquam ſub pellibus agit, nunquam in acie ſtetit, in expeditione nunquam verſatur? Sed nolim abire longius.

Vocatio Veſtrorum qualis tandem eſt ? quid in ea ſancti, quid priſtini & legitimi moris ? Piget me tædetque de pudenda illa promercalium titulorum & redituum inter cauponantes nundinatione loqui, cujus flagitia & dedecora tanta ſunt, ut ex probrarireis ſalvo pudore non poſſint. Sed ubi electio ? ubi eligendi diligens & pia probatio ? cum tamen ſine electione nulla ſit fueritve ordinaria vocatio : At de defunctione muneris quid dicam ? quæ voces ſufficiunt in querelam ? ubi doctrinæ & verbi, ubi Sacramentorum adminiſtratio ? ubi cura diſciplinæ & morum ? ubi ſolatia pauperum ? ubi increpatio malorum ? heu lapſæ res Romanæ ! heu ruina florentis Eccleſiæ ! non electi, non vocati ; per ambitum, pecuniam, malis artes

artes obtruduntur ad regimen; obtruſi verò, nec docent, nec regunt, nec ulla parte muneris illius funguntur, à quo ſuperbum & ſibi dedecorum titulum arripiunt. At nobis interim tam ignava, tam ſocordi patientia utendum eſt, ut illos Epiſcopos, vel per ſomnium putemus nihil Epiſcopale, nihil illo dignum munere, nihil quod titulo reſpondeat, nihil quod tanti nominis menſuram impleat, exercent?

Sanè per me licet, ut qui ſordet, ſordeſcat adhuc. Ego ſaltem Deo gratias ago, quod nonnullas mihi tenebras deterſerit, eundemque precari non deſinam, ut diſcuſſa quæ reſtat caligine, magis magiſque jubar veritatis exoriatur in animis noſtris, cujus amore & cupidine inductus, hoc quicquid eſt, ad te inſcripſi, non magiſtri ſupercilio, ſed humilitate diſcipuli, quo gratiorem non temerè reperies, ſi vel errantem reduxeris in viam, vel ignorantem meliora docueris. Vale & reſcribe.

D. B. B.

D. B. B. S. P. D.

IOHANNES BASTWICK.

Ornatiſſime Domine,

CUM apud animum meum reputo ſingularem humanitatem & compoſitos mores longè plurimorum hominum qui Papiſmum profitentur, ingentem induo fiduciam, hoc quicquid eſt ſcripti non diſpliciturú hominibus veſtris: Multò minus Tibi; quem mira indolis & Naturæ ſuavitas finxit ad amabilem vitæ æquanimitatem, & cui hoc quantulumcumque eſt operis devotiſſima tenerrimæ mentis voluntate conſecratur. Nec hîc tantum fiducia ſtetit, ſed errorum quoque veniam, ſi fortè in tam arduo conatu nonnulli animi humani caliginem illuſerint, pollicetur. Nec injuria ſanè ſic mihi ſpondeo, utpote qui pravæ deſtinationis integer ſolâ rectè facti conſcientiâ & ingenuâ cupidine promovendæ utriuſque noſtrum beatitudinis ad hunc laborem accedo.

accedo. Quis enim humanam induſtriam arguat, quæ in vindicandâ avitâ hæreditate, expellendaque Calumniantium iniquitate verſatur ? Quis non illum laude proſequitur qui jus ſuum ſibi aſſerit, qui fraudes alieno Patrimonio inſidiantium veritate & legibus opprimit ? Quare cum ea res in humanis decori ſit, in divinis certè erit illuſtrior.

Non enim hîc de hæredio poſt mille caſuum reciproc s æſtus mox perituro agimus, ſed de cœleſti Patrimonio inter inexhauſtam felicitatis affluentiam in omnem æternitatem perennaturo. Nec ipſa ſolum rei gravitate, ſed Dei jubentis autoritate ad curam hanc & diligentiam impellimur. Quocirca cum Papiſticæ Religionis Mancipes ingens illud & divinum hæredium à nobis tanquam exteris & peregrinis, quibuſque in judicio conſiſtendi jus non eſt, avulſerint, ſibique ſolis vindicaverint, magnum me operæ pretium facturum putavi, ſi fraudes & calumnias uſurpatorum, ſimulque jus noſtrum *inſtrumentis*, *tabulis*, *teſtibus* edocuerim.

Quod ut ritè procedat in ipſo limine fateor alterutram partem in graviſſimo & perniciabili errore verſari. Cum enim hinc inde tam oppoſitæ ſententiæ, tam contraria axiomata teneantur, fieri nonpoteſt ut utraque litet veritati; è cujus ſinu qui excidit in miſeriarum Barathro periturus volvitur: Quod ipſum à prudentioribus veſtris animosè aſſeritur. Cum enim *veri adoratores tantùm ſalventur*, de reliquis jam perlata ſententia eſt : & novimus quis ſit ille decretorius ſtylus.

Quare non iniquè feres, Vir præſtantiſſime, ſi in re

re tanti momenti, & quæ tua permagni interest, conscientiam tuam paullò strictius interrogem, num è semita veritatis excidisse te non persentias, cum ab Ecclesia nostra devius ad Papisticos conventus deflecteres. Quod non ideò dico, quasi sponte & desperato ingenio, visis melioribus, ad deteriora convolaveris; scio quantum apud bonos sæpè viros calumniæ valeant, quibus innocentiam religionis nostræ adversarii infamant.

Quis enim non moveatur, cum *hæresin, seditionem, rerum novarum studium, perduelliones in Magistratum, abolitionem humilitatis & jejunii, odium denique virtutis & bonorum operum* objectari nobis audiverit, & quidem tam pertinaci & impudenti clamore? scio quàm facilè nocens videatur, cui tam dira fingeruntur. Sed tui judicii est & moderationis, nisi re explorata, non accedere ad calcellum. Objecta si vera sint, summo te jure subduxisti à sceleratis. Sin falsa (sicut revera sunt,) quanto te periculo in cœtum illum induisti, qui sola calumniandi & pudenda arte se tuetur?

Memoria tenes Christum ipsum & Apostolos omnes similibus vel iisdem inimicorum telis petitos & sæpè obrutos fuisse. Sed illorum responsa, quibus hostes jugularunt, etiam nos armant contra maledicorum insaniam. Non ausim dicere (quia de tuo ingenio nihil humile cogito) te permotum fuisse Pharisaica illa arrogantis Papismi exclamatione, cum nobis *pauperiem exprobrat, & tenuis popelli colluviem ridet, cum sæculi magnates, Patrum traditiones, omnia denique magna & illustria nobis infesta vociferatur, cum miraculorum denique splendorem, & vocationis nostræ rationem poscit.*

Non

Non ignoro fluxas ſæpè mentes his maledictis velut machinis labefactas eſſe.

Sed interim miror homines veſtros, cùm Phariſæorum infauſtum exitum non neſciant, nefandas eorundem artes non exhorreſcere. Quantum enim ſcelus, & quantis ſuppliciis expiandũ? Viam veritatis velut objectis calumniarum ſcopulis occludere; nec ad ſuam tantùm, ſed aliorum perniciem ingenio abuti. Nam cum unus tantùm *Deus* ſit, & una *Deum* colendi ratio; quicunque rationem illam deſerit, ille ſibi & miſeriæ ſuæ relinquitur. Et ſanè, quamvis calumniæ primo impetu valeant, tamen à veritate deprenſæ langueſcunt. Nec enim inde religioni veſtræ robur, vel noſtræ imbecillitas acceſſit. Non enim ita malè comparatum eſt, ut religionis ſanitas ab hac vel illa mobilium ingeniorum opinione pendeat. Veritati enim ſua natura remanet, quamvis eandem calumniæ denigrent: Nec erroribus ſua falſitas demitur, quamvis mille ſchematum coloribus & picturis varietur.

Cæterùm opinatu haud abſurdum fuerit illa re te quoque non parum permoveri, quæ plurimos movit, & multis diſputationibus materiam dedit. Fuerunt enim inter noſtros viri minimè mali, præclara eruditione & eximio charitatis affectu, qui tum publicis alloquiis, tum privatis ſermonibus aſſeruere, Papiſtas in ſententia ſua, vel ad obitum perſeverantes poſſe ſalvari, & Papalem Eccleſiam, veram Eccleſiam eſſe. Quod cum veſtri ſemper noſtris præfractè negaverint, evenit, ut illa noſtrorum pauculorum opinio vobis amicos adhuc amiciores faceret, quoſdamque inſtabiles, vel nobis

infidos ad deserendas partes polliceret.

Sed hic judicium tuum appello, quàm exigui momenti res sit ad religionis stabilimentum hujus vel illius opinio. Et sanè si quis ob immistam millenis erroribus nonnullam veritatis particulam, Ecclesiæ vestræ largo quodam sensu honoratum id nomen indulserit, haud propterea putandus est ipsis erroribus novum patrocinium attulisse. Nec enim Samaritanam Ecclesiam veram dixeris, quia tenues adhuc quædam reliquiæ veritatis sub errorum cumulo nondum consopitæ erant; Nam ut Samaritanorum errores, quibus infecta & infracta veritas erat, salutem illidem, & spem vitæ subduxerant; ita Papistarum error & Idololatria parem professoribus suis calamitatem minantur. Nec id munimento vobis est, quod fortè quis indulgētiori affectus teneritudine spem bonam foveat de nonnullis vestrûm, qui dogmatibus suis immoriuntur.

Non enim ipsis illa de Papistis, quà tales sunt, sed de miseris hominibus concipitur, qui diu falsi, diuque inter socios errorum jactati, tandem pulsa caligine, ad sola Christi merita convolant morituri. Et sanè qui mortalitatem hâc fiduciâ explent, non in Papana, sed vera & Catholica Ecclesia vitâ æternam auspicantur, quamvis externa species eosdem adhuc Papanæ Ecclesiæ permisceat. Sed hic repeto, quod attigi jam ante, opinionem aliorum ad alterius salutem exiguæ efficaciæ esse, Nec enim inde quis de introitu in cœlos certior est, quia aliis opinatur illum posse non excludi. Fit moribus adminiculis opus est ad capescendum hoc iter: *Pœnitentia* scilicet & *Fide*, quibus qui carent, beatitudinis etiam exsortes sunt; Est autem inter Chri-

stianæ

ſtianæ diſciplinæ πνεύμας δόξας, nullo nomine vel ſalutem quæri, vel mortem vitari, niſi ſolius Chriſti : illum qui fide amplectitur, ſuper illum qui incumbit, ille demum inconcuſſus & ſecurus inter mille dubitationum murmura, firmatam ſolatiis animam Deo reddit.

At qui contra, Chriſto relicto, ſibimetipſi vel meritis hominum fidit ; ille quamvis inter mille lætantium & gratantium plauſus & vota, vitam malam pejori morte commutat.

Hoc poſito fundamento, ſola in Chriſtum fide ſalutem quæri ; non dubiæ veritatis eſt, omnes qui vel odio vel inſcitia Chriſti tenentur, ut Judæos & Turcas, damnatos eſſe. Sed de fide loquētibus ante omnia diligenter tenēdum eſt quid illa ſignificet. Sanè fidem in Chriſtum defigere, & in Chriſtum Jeſum credere, nihil eſt aliud, quam eundem *agnoſcere Redemptorem, Mediatorem, Salvatorem & Dominum, illi Sacramentum dicere, illum venerari Regem, Sacerdotem & Prophetam. In illo fundari, ædificari, & in toto ſalutis negotio proram eundem & puppim facere* : Nam *credere in Chriſtum. Chriſtum agnoſcere, in Chriſto fundari*, locutionis modi ſunt, qui rem unam & eandem ſignificant. Unde qui in Chriſtum credit, qui eundem agnoſcit & in eoſē fundatur, ille Chriſtum tam arcto nexu complectatur, tam exſerta fiducia in eundem recumbit, ſic eidem innititur, ut in ſalutis adipiſcendæ molimine, neque nomen aliud ſuſpiciat, neque meritum veneretur quàm ſolius Chriſti, neque Regem alium colat, neq; Sacerdotē reverentur, neq; Prophetam recipiat præter unicum Chriſtum, qui ſolus caliganti & perdito mundo ſalutem reddit &

lucem, qui ſolus Eccleſiam regit & tuetur, qui peccata ſolus expiavit: qui ſolus errantes ducit, & ignorantium animos doctrina cœleſtium imbuit. Et hoc, quod multis quidem, non tamen nimiis verbis expreſſi, *in Chriſtum credere eſt, & fidem collocare in Chriſtum.* A qua credendi ingenuitate qui deſciſcunt, à Chriſto ſimul & ſalute deficiunt.

Jam verò ſi paullò addictius Papiſtæ tui examinentur, num fidem in Chriſtum collocaverint, haud dubiè multùm trepidationis in ipſo reſponſo præferent. Quid enim reſponſuri ſunt, qui temeritatis & arrogantiæ nos arguunt, quod imperterrita & inconcuſſa fiducia in Chriſtum credimus? Qui meritis ſuis & ſatisfactionibus fidunt: qui Papam Eccleſiæ petram & fundamentum prædicant: qui in eodem fundantur. Num illis quæſo ſolus Rex eſt Chriſtus, qui plus Papæ decretis, quam Chriſti dictis obtemperant? Num ſolus illis Chriſtus Sacerdos eſt, qui novo & malè fœcundo ordinis Melchiſedeciani Sacerdotio omnes templorum angulos implevere? Num denique ſolus illis Propheta Chriſtus eſt, qui plus traditionibus hominum ad inſaniam, quam Chriſti diſciplina ad ſalutem erudiuntur? Sanè qui vel per tranſennam religionis veſtræ cryptas vidêre, ſatis animadvertunt Chriſtum apud vos titulo tenus cultum (intolerabili ludibrio) omnibus *Regiæ, Sacerdotalis & Propheticæ dignitatis* officiis & muniis exui. Non incendam facti invidiam atrocitate verborum. Naturam Chriſti humanam labefeciſtis, dum corpus ejus in terra ſimul & in cœlo locis infinitis, circumſcriptum ſimul & incircumſcriptum ſtatuitis.

Nam

Nam quomodo natura humana esse possit, quæ cunctis humanæ naturæ proprietatibus exuitur? Non hæc ex abditis penetralibus vestris portenta eruo; sed ea in medium adfero quæ obvia & cunctis expositа in oculos hominum incurrunt. Quare cùm Romana Ecclesia naturam Christi humanam neget, officiaque repudiet, Nostra autem Ecclesia non verbis tantum, sed factis illam afferat & hæc stabiliat: consequens est Romanam falsam veritatis hostem & exsortem salutis; Nostram autem veram, falsitatis inimicam, & Dei alumnam esse.

Post cujus axiomatis stabilimentum, ipse rerum ordo me vocat, ut ab Ecclesiæ nostræ vultu sordes illas eluam, quibus eundem impudentissimo calumniarum vomitu maculastis: quarum illa princeps est & velut omnium aliarum criminationum implementum; nos hæreticos esse. Sanè si accusasse sufficiat, nemo nostrûm tam horrendi criminis insons erit. Sed hîc candorem tuum invoco, petoque ut vel aliquem saltem in religione nostra articulum demonstres, qui illa scabie laboret.

Quid enim in Ecclesia illa hæreticum, quæ hæresin non unam, sed omnes didicit exsecrari? Quæ Judaismum abominatur? Turcismum exhorrescit? Quæ nec Dei verbo, nec antiquis Ecclesiæ Symbolis repugnans dogma admittit? Quæ nullis erroribus, quos vel vetusta Concilia, vel Imperatorum leges confoderunt, assentit? *Unum* Ecclesia nostra *Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum agnoscit. Unicum veneratur Sospitatorem Iesum Christum.* Unicam credit veram & Catholicam Ecclesiam, cujus Caput & Gubernator solus est Christus. Sacramẽta

celebrat quæ Christus instituit, & promulgarunt Apostoli. Denique Religio nostra non tollit Ecclesiam, sed extirpat errores, qui nimiis incrementis illam penè suffocaverant. In his igitur quid dignum est tam iniquis clamoribus, tam atroci stylo, tam crudeli stigmate?

Quo jure vosmetipsos cohonestatis Ecclesiæ nomine, nos autem hæreseos dedecore diffamatis? Sanè cum hæc convitia perpendo, non aliud animadverto vobis in animo esse, quàm ornamentis nostris ad ostentationem abuti, & vestris è contra sordibus fœdare dignitatem nostræ religionis. Cæterùm vera religio suffulta est Prophetarum & Apostolorum scriptis: sic enim è Scriptura simul & vetustissimis Ecclesiæ Patribus didicimus. At hæresis est, ubi obstinato & præfracto animo, vel credenda non creduntur, vel creduntur non credenda. Alterutrius vitii nemo nos insimulaverit, qui nostrum cum Scriptura consensum pernovit: quicquid enim illa continetur, omni reverentia accipimus, illamque nobis in exemplum proponimus, quo dicta factaque moderemur.

Ergò quid nobis abest, quo minus Ecclesia indigitemur? Certè si quid labis ex ejuscemodi convitiis in nos adspergitur, non minoribus maculis ipsi Prophetæ, & Apostoli fœdantur, quorum vestigia premimus. Nam si non credenda credere perhibemur, in Prophetas & Apostolos intentabitur hæc accusatio, quod nimia scripsere. Sin verò non credere credenda, hùc crimen recidet, quasi pauca nimis ad usum nostrum tradiderint. Utraque autem hæc criminatio Scripturæ violat autoritatem. Nam in illa re perfectio consistere non potest, in

qua

qui vel redundat inutile, vel abeſt neceſſarium. Atque Chriſtus Apoſtolis ſuis Spiritum ducem dederat in omnem veritatem, cujus lumine irradiati, doctrinam Evangelii in litteras redigere, quæ jamnobis per obſcura vitæ euntibus lucem præferant. Hanc doctrinam & prædes ejus cùm damnatis hæreſeos quàm exactè imitamini Judæorum pravitatem, Apoſtolos iiſdem contumeliis inſectantium? Act. 24. v. 14. Sed illis ita Paulus reſpondet. *Hoc verò tibi profiteor, me ſecundum viam illam, quam hæreſin dicunt, ita ſervire patrio Deo, ut qui credam omnibus quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt.* Crede nos eodem reſponſo velut armatos ita calumniantibus reſpondere. *Nos ſervire Deo ſecundum viam illam quam vos hæreſin dicitis,* Sed quæ revera Prophetarum & Apoſtolorum monumentis continetur.

Hæc jugulata calumnia etiam alteri ſpiritum intercludit, quâ nos, ut nuperos & novos exagitare ſoletis. Quid enim in illa religione novum eſt, quæ vetuſtiſſimis Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis innititur? *Sanè id antiquius ubique perhibetur, quod prius: Id prius quod ab initio: Id ab initio, quod ab Apoſtolis.* Quare cum excuſſis hominum vel inventis vel deliriis, uni religioni adhæreſcimus, quæ ab ipſo Apoſtolorum calamo emanat, ſoli nos novitatis arguent, quibus ipſa Evangelii pagina nova eſt. Videor audire veteres illos veritatis hoſtes, qui Chriſtum oblatrabant. *Quid eſt hoc? quæ doctrina nova hæc?* Marc. 1. v. 17. Qui Paulum ubi in Areopagum deductus eſſet, per inſcitiam interrogabant, *poſſumuſne ſcire quæ ſit iſta nova quæ à te dicitur doctrina?* Act. 17. ver. 19.

Doleo ſanè tam pares vobis mores eſſe. Sed non te fugit, quid mancipiis illis erroneæ antiquitatis ſapientiſſimus Magiſter reſponderit. *A principio non fuit ſic.* Matth. 19. verſ. 8. Eodem reſponſo nobis retundenda eſt ſupercilioſa illa arrogantia, quâ vetuſtatem rituum veſtrorum decantatis. Tot ſæculis invocatio ſanctorum viguit: neque minoribus cultus imaginum. Traditiones ab omni ævo magnam in Eccleſia autoritatem habuere; Pontifex tot annorum decurſu pro libitu imperavit: meritis & ſupererogationis operibus jam ſua conſtat canities.

Miſſa jam pluribus annorum centuriis invaluit. Tot ſæculis jam ardet ignis purgatorius. Quibus univerſis putidæ jactantiæ ampullis unam Chriſti vocem reponimus. *A principio non fuit ſic*, hoc eſt, Prophetarum & Apoſtolorum temporibus ejuſcemodi dogmata, nec in mentes hominum, nec in ſcriptorum libros irrepſerant. Quare cum à nobis Scripturæ ſtent, maximum & unicum antiquitatis ſpecimen facilè patimur inanes novitatem convitiantium tinnitus.

Neque movemur illâ (ut putatis) contumeliâ, quâ nos ignotos & velut terræ filios traducitis. Erat hoc Phariſæis in Chriſtum ſolenne. *Unde hic?* Joh. 9. verſ. 29. Nec minus apud veſtros in more. *Unde vos?* unde hæc nova ſoboles emerſit, quæ ante Lutherum nuſquam comperuit? Reſpondebat Judæis interrogantibus Chriſtus: *Scrutamini Scripturas, illæ ſunt quæ teſtificantur de me.* Joh. 5. verſ. 29. Vobis irridentibus idem reponitor. Evolvite Legis & Euangelii monumenta; ibi natales religionis noſtræ invenietis & originem.

Succedit

Succedit atrox, non calumnia ſolum, ſed calumniæ rabies, quâ ſeditionis arceſſimur. Furebat eadem intemperies univerſæ multitudinis in Dominum noſtrum. Luc. 23. verſ. 12. *Hic pervertit gentem, & vetat tributa dari Cæſari.* Sic Regnorum peſtes, civitatum carcinomata, concitatores plebis caninâ Romanenſium facundiâ perhibemur. Verùm ut Chriſti innocentia vocem Pilato extorſit, *Non inveni noxam in hoc homine:* Sic ipſa veritas vis à Scriptoribus Papiſticis, qui ſuperioris ævi hiſtoriam compoſuere, ſæpè teſtimonia elicuit, quibus integritas noſtrorum à calumniis apud poſteros vindicatur. At qui dicunt nullas ante religionem Reformatam in mundo turbas, nullas bellorum procellas ſæviiſſe, nullis regnorum & civitatum everſionibus colliſam Europam, næ illi ſe jejunos & ſteriles produnt ſcientiæ hiſtoriarum. Si tamen ita ſe res maximè haberet, num propterea nobis tot motuum & funerum cauſæ imputandæ forent? Quieſcebat terrarum orbis in ſinu tranquilliſſimæ pacis cum Chriſtus naſceretur: exinde quæ bella, quæ clades exercituum, quot urbium direptiones, quot regnorum ruinæ ſubſecutæ ſint, quis ignorat? Filius ſæviebat in patrem, pater in filium, cognati, affines, familiares, alter alterum immanibus odiis fatigabat, ipſo Chriſto velut in turbam *mittente gladium.* Matth. 10. verſ. 34. Nec minus Apoſtolorum temporibus quatiebantur tumultubus provinciæ, qui *cauſa doctrinæ* excitati fuerant. cap. 16. & 18. Actor. Sed tamen Chriſto vel Chriſtianæ doctrinæ invidiam facere, tanquam fomiti malorum, impium & deteſtabile fuerit. Num quis Soli cadaver illuſtranti fœtorem imputaverit

quem putredo exhalat ? Diabolorum & hominum impietas, qui veritatem averſantur, & doctrinam ſalutis horreſcunt tumultuum cauſa eſt : ex hoc fonte illa mala ſcaturiunt, quæ ſæpe integras gentes excidio mactarunt. Impedimentum ponere currenti Evangelio,& ſalutarium aquarum defluvium novo obice coercere; hoc demum eſt turbas dare, & provocare tumultus veritatis inimici, ubi tot ignium aggeſtu & vivicumburiis penè Regionem deſolarunt, ipſos in quos ſævierunt, incendii reos ſubdunt.

Huic calumniæ gemella eſt altera, nos Regibus infeſtos eſſe. De Chriſto Judæi paria loquebantur: imò Chriſtum non odiſſe id demum erat *Majeſtatem* lædere, Joh. 19. ver. 12. *Illum ſi abſolveris, non es amicus Cæſaris.* Eadem nos urget improbitas : non ipſi modo in qui Reges iniqui, ſed qui nos non oberunt, parum æqui judicantur. Sed quod Pilato Chriſtus, *Regnum meum non eſt ex hoc mundo*, idem nos maledicentibus reſpondeamus : Coronæ noſtræ quas adſpiramus, nos in cœlo manent. Unum in terris regnum venamur, ſervire Deo, & obſequi Chriſto, qui jubet *quæ Cæſaris ſunt reddi Cæſari, & quæ Dei, Deo.* Hoc officium imperio potius, hoc obſequium diademate illuſtrius credimus. Ita enim nos decet *unicuique reddere quod debetur, cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem*, &c. Rom. 13. ver. 7. *Subditi enim ſumus Regibus non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, Rom. 13. 5. Et ſanè nobis in votis eſt, ne dies ulla nos arguat immemores Petri jubentis, *Deum timete, Regem honorate*, 1 Pet. cap. 2 Ac quidem hactenus nec ſanguini, nec opibus pepercimus, quo minus

minus animi ſententiam factorum fide manifeſtemus, precamurq; aſſiduè ut ſana mens conſtet Imperatoribus, & retinens divinæ legis, ne quid unquam ſubditis imperent, quod Deum violet, *cui obedire potius quàm hominibus* inter cœli edicta eſt. Sed ubi ad veſtrorum hominum, quod adeo prædicatis, obſequium oculos circumfero, quanto me horrore percellit ſub monarchi ſicarii cultro mactatus Gallorum rex, Henricus tertius, & mox quartus, maximus Regum, Papiſtici parricidæ fica ſanguinem ſimul & ſpiritum effundens. Non attingo vetera, quæ vel veneficiis vel parricidiis Regum & plura & nefanda ſunt. Unum illud obedientiæ ſpecimen, quod in deflando imperii domicilio, in Rege, regia ſobole, & toto Nobilitatis flore extinguendis, homines veſtri ætate noſtra edidere; ſatis eloquitur quis votis erga Reges Amor, quæ Fides ſit.

Jam ſuccedit aboliti jejunii criminatio, quâ non minus Judæi Chriſtum onerabant. *Ille enim vini Potor & edax*, Matth. 11. ver. 19. & jejunii ne quidem *in diſcipulis patiens* perhibebatur, Marc. 2. v. 18. ſed Chriſti apologeticus, etiam noſter eſt.

Non poſſunt filii thalami quo tempore cum ipſis eſt ſponſus, jejunare, &c. *aderunt autem dies quum tolletur ab iis ſponſus, & tunc jejunabunt illis diebus.* Cui enim rei fuerit ſtatum, & ſolenne, & anniverſarium jejunium, cum ſæpe poſſit incidere in ejuſcem odi tempora, quæ rerum proſperitatem gaudio & lætitia celebrari poſtulant? at jejunia temporibus nubilis & triſtitia coopertis apta ſunt, cum ſublato ex oculis ſponſo, ſilet hilaritas, & gaudium obmutescit: cùm gemit Eccleſia, & luctu obruitur. Tali

temporum

temporum nocte ritè jejunatur. Non ut apud vos moris est, simulatâ inedia, cum ablatis carnibus, piscium, vinorum deliciis implemini, sed revera omni ciborum genere abstinentiâ.

Nec his modò finibus jejunia circumscribimus, sed vitam omnem in temperantia & sobrietate transigendam esse contendimus, præcipuè verò in abstinentia à peccatis, ut alacriores invigilemus operibus misericordiæ, *Isa.* 56. Quare risum mihi ferè excutiunt, quæ Romani Gnathones in claustris suis de jejuniis crepant; illorum scilicet odio & metu majores nostros tam severæ disciplinæ impatientes, Romanam Ecclesiam deseruisse, secutos partes eorum, quibus in cibo & potu solutior luxus est. Quasi majoribus nostris magis arduum fuisset, more Prælatorum Romanensium, opulentis & instructissimis jejuniis quadragesimas fallere, quam famem, inediam, fugam, carcerem, & per exquisita sæpe supplicia mortem acerbam pati? Imò quasi non minoris è cauponantis Romæ nundinis dispensatio comparari potuisset, quàm rei familiaris fortunæ aviditati prædatricis Inquisitionis exponi?

Sed bonorum operum nobis odium & inimicitiam objiciunt. Nec Christus ipse, fons omnis bonitatis, hanc calumniam effugit, nec intacti hac maledicentia abierunt Apostoli. Act. 6. v. 9. & 14. & Rom. 3. Sic enim ubique perstrepebant Judæi, Evangelii doctrinâ ritus Mosaicos aboleri, & inanem reddi legem. Ita vos vociferamini, nostra religione latam aperiri fenestram libertinismo, & in corruptos mores, luxuriam, libidinem, proterviam induci: omnemque simul cum lege charitatem extingui,

tinguì, dum de fide litigatur. Quid ad hæc Chriſtus? Matth.5. v.17. *Ne exiſtimate*, inquit, *Me veniſſe ut diſſolvam legem & Prophetas: non veni ut diſſolvam, ſed ut impleam:* Et Paulus Rom.3.13. *Legem igitur inanem reddimus per fidem? abſit: imò legem ſtabilimus:* idem & nos. Ne exiſtimate ergò religione noſtra diſſolvi legem, vel quicquam eorum aboleri, quæ Prophetæ vel Apoſtoli præceperunt: nam fidem à charitate ſejunctam prædicare, inſaniam, non Theologiam ſapit: Fides enim per charitatem agit, Gal.5. v.6. Et Dei gratiam ſine ſanctificatione annunciare illorum eſt, qui impoſſibilia moliuntur: *Illuxit enim gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo.* Non igitur opera per fidem ſubruimus, ſed ſtabilimus: nam fides in Chriſtum & erga Deum pœnitentia indivulſo nexu conſociantur: ad hoc enim Chriſti ſanguine redemptos homines docemus, *ut purificaret ſibi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum*, Tit.2. v.14. Cum Deum fidelibus patrem dicimus, obſequii quod à filiis patri debetur nec immemores ſumus nec incurioſi. Cum Evangelii promiſſa, quibus hæreditas cœleſtis ſpondetur, promulgamus, mentionem quoque operum bonorum, quæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus, ſilentio non præterimus.

Ad paupertatis calumniam quis erubeſcat, niſi qui extremum malorum in illa collocat? Deus enim minimè προσωπολήπτης, cujuſcunque gentis, conditionis, fortunæ hominibus, modò ad obſequium paratis, ſe Patrem, Patronum, Benefactorem ſpondet. Chriſtum ſannis iiſdem nebulones olim

olim excepere, *Nonne iſte eſt ille fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Iacobus & Ioſes?* Matth. 13. 55, 56. Meminiſtine quid ad hæc ludibria dominus reſponderit? *Ne judicate ſecundum ſpeciem, ſed juſto judicio judicate,* Joh. 7. ver. 24. ſic vobis miniſtrorum noſtrorum inopiam, obſcuritatem natalium, & exiles fortunæ paratus ridentibus reſpondemus; non habitum illorum, non fortunam à nobis, ſed gratiam inſpici, quæ Deo agitante, & ipſis miniſtrantibus efficax eſt in credentium animis. Et qui hîc quæſo pudendum nobis, cum Apoſtolorum tenuitatem intuemur? nonne Principi (ut vos vultis) Apoſtolorum, piſcatura & ars & cenſus erat? Nonne ſanctus ille Antiſtes Gentium, magnus ille diſpenſator lucis, texendis tabernaculis vitam toleravit? Deus enim *dedit nobis thesaurum illum cœleſtem in teſtaceis vaſculis, ut ejus virtutis præſtantia ſit Dei, & non ex hominibus.* Pauperes, tenues, plebei ſunt. Eſto: at plurimos locupletant. Nihil habent: attamen omnia poſſident.

Quod Magnates nobis infeſtos, ſapientes & doctos averſos ampullantur, parum nos movet. Cum milites olim & apparitores attoniti granditate orationis Chriſti, Phariſæis referrent, neminem unquam ore mortali tam miranda elocutum, in promptu erat hominibus nequam hæc ſubſannatio, *Num & vos ſeducti eſtis? Num quis ex Principibus credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc quæ non novit legem, execrabilis eſt,* Joh. 7. ver. 46. At in veſtro cœtu non minus uſitatum, ubi vis veritatis vel lux conſcientiæ quempiam ab errorum tenebris protrahit in apricum, ſapientium autoritate

&

& ſplendore magnatum pugnare in tenuitatem Eccleſiæ noſtræ, quam nullus fortunæ tumor, nulla doctrinæ ventoſitas attollit. Quod ſi Paulum veſtri conſuluiſſent, næ dudum illos puduiſſet, tam jejunæ calumniæ: Sic enim ille, 1 Cor. 1 16. *Videtis vocationem veſtram fratres, vos non eſſe multos ſapientes ſecundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles: verùm quæ ſtulta ſunt in mundo, elegit Deus ut pudefaciat ſapientes, & quæ infirma in mundo elegit Deus, ut pudefaciat robuſta,* &c. At characterem meretricis Babylonicæ, ubi videris Apoc. c. 17. & 18. Nonne retro pedem referas à faſtu & pompa ſæculi? Omnis illa magnificentiæ, ſuperbiæ, ſplendoris inſania in gurgitem & barathrum æterni exitii præcipitatur, cum interim miſello gregi cõtempto, neglecto & inter mundi purgamenta habito, ſolatium, honor, gloria, regnum à cœleſti Patre porrigitur, Luc. 12. ver. 32. Et ſanè cur nos Principum ſapientiumque à nobis ſtantium paucitas terreat, ubi Chriſti recordamur agentis Patri ſuo gratias, quòd abſconderit hæc à ſapientibus & intelligentibus, & detexerit ea parvulis?

At traditionibus reverentiam à nobis detrahi quod aiunt, non indignamur. Chriſtum & diſcipulos ſimili modo de neglectis *traditionibus ſeniorum* increpabant Phariſæi. Matth. 15. 12. Sed illos graviore increpatione Chriſtus perculit. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei per traditionem veſtram?* Quare cum à veſtris invidioſè quæritur, cur nec altaribus, nec ornamentis Sacerdotalibus effulgeamus; Cur hoſtiam inter ſacrificuli manus elevatam non adoremus vice Dei; Cur de Calice omnes bibamus, quæremus & nos, ſed meliore

meliore jure, *Quare & vos mandatum Dei transgredimini per traditionem veſtram*, qui dicit : *bibite vos omnes*. At ubi altaria, hoſtias & ſimilia nugamenta nova & inaudita crepant, ad ſacræ Scripturæ tabulas recurrimus, in quibus cum de quiſquiliarum harum ludibriis nihil perhibeatur, nos quiete, & illos inſania ſua frui non vetamus. Si in imaginibus tollendis traditionem negligi culpant, mandatum ipſis per traditiones violatum objicimus, *Non facies tibi ſculptile*, aut imaginem ullius rei, &c. Si in Papa & Cardinalibus excuſſis traditionem contemptam urgent, neglectam ipſis econtra prohibitionem Chriſti objicimus, Matth. 23. verſ. 9. *Patrem veſtrum neminem vocetis in terra : unus autem eſt veſter Pater qui in cœlis eſt : omnes autem vos fratres eſtis*. Si in diebus feſtis incuriosè habitis traditionem læſam dolent, Dei edictum Proterve conculcatum ipſis exprobramus. *Sex dies laborabis*. Si in jejuniis omiſſis traditionem excuſſam lamentantur ; Dei juſſum & Apoſtolorum ab ipſis rejectum lugemus, 1 Cor. 10. verſ. 27. *Quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam*.

Verùm miracula, quod à nobis flagitant, protervè faciunt & æmula Judæorum malitia, qui Chriſtum eadem importunitate fatigabant. *Quod ergo tu ſignum edis, ut videamus & credamus tibi ? quid operaris ?* Joh. 6. verſ. 30. & Matth. 16. verſ. 1. *Et cum acceſſiſſent Phariſæi & Sadducæi, tentantes rogarunt eum, ut ſignum è cœlo ipſis oſtenderet*. Sed quod perverſis illis & deploratis ingeniis Chriſtus reſpondit ; *Natio mala & adultera ſignum requirit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum illud Jonæ Prophetæ,*

phetæ, &c. id ipſum nobis hac flagitatione preſſis ſuccurrit. Nam qui obturatis auribus & clauſo corde Evangelium, quod undique circumſonat, reſpuunt, miracula poſcunt, ſed non alia ipſis miracula dabuntur, quam quibus Evangelii Doctrinam Chriſtus & Apoſtoli illuſtrarunt fundaveruntque. Nam cùm Doctrina noſtra Chriſti Doctrinæ per omnia conſentiat, æquum eſt, ut illius miraculis utamur pro noſtris. Atqui diverſa ab illis, vel ipſi ſomniant, vel ab aliis exigunt, partes ſunt & viſcera Antichriſtianæ familiæ, cujus hoc inſigne eſt, hiſtrioniam exercere *cum omni potentia & ſignis & prodigiis mendacibus.*

Sed tandem vocationis noſtræ rationem poſcunt. Sic olim *cum veniſſent in templum principes Sacerdotum & Seniores populi eum docentem audierant, dicebant, qua autoritate facis iſta? & quis tibi dedit iſtam autoritatem?* Quid ad hanc ſupercilioſam interrogationem Chriſtus? *Interrogabo vos & ego vem quandam; quam ſi dixeritis mihi, dicam & ego vobis, qua autoritate iſta faciam. Baptiſma Iohannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus? at illi ratiocinabantur, &c. Quare non credidiſtis ei? ſin autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Iohannem ut Prophetam.*

Ita ſanè ubi homines veſtri quæſtionibus noſtris reſponderint, magnam quoque in nobis reperturi ſunt reſponſorum liberalitatem: ſed ubi reſponderint unde ſacrificatus Eccleſiæ Romanæ, num è cœlo deſcenderit, an ex hominum cerebris emerſerit? Quæ ſanè quæſtio jamdudum hominibus veſtris crucem figit. Nam ſi Sacrificatus originem

originem è cœlo deducant, illicò Scripturam, quæ ſola in hoc negotio teſtis eſt, percunctabimur, imò petemus, ut vel minimo literarum vetuſtatium teſtimonio probent Apoſtolos vel Apoſtolis proximos, cantus & ritus miſſales obiviſſe. Sin autem *ex hominibus* Miſſæ choragium arceſſunt, jam nunc corruit totum intricatiſſimæ fraudis artificium. Hactenus enim ſimplici popello perſuaſere Sacerdotes Miſſaticos à Chriſto inſtitutos, & Miſſam ab ipſis Apoſtolis celebratam fuiſſe.

Vides ornatiſſime Domine Eccleſiam noſtram iiſdem calumniis peti, quibus olim improbitas malorum in Chriſtum ipſum debacchatur: Nec illud obſcurum eſt, iiſdem illas reſponſionibus elidi, quibus veteres illas Chriſtus refutabat. Quæ res & gloriam nobis & fiduciam conciliat. Nam qui malorum, quæ Dominus paſſus eſt, conſortes in hac vitâ ſunt, bonorum etiam & felicitatis in futura participes erunt.

Spero tibi candorem & ingenuitatem meam neque gravem nec ingratam fore: unus mihi propoſitus finis, ut purgatâ à calumniæ maculis Eccleſiâ noſtrâ; è Papatus, jam tui, ſordibus maturè ad eam redeas. Certè ego pro meo in te eximio amore & ſalutis tuæ tuorumque ſtudio non deſinam precari Patrem lucis, ut oculos tuos objectâ tot calumniarum nube caligantes aperiat, ut apud animum tuum perſpicere poſſis,

—— *Quantum præſtent demiſſa petitis.*

HONO-

HONORATISSIMO DOMINO EDOVARDO SACKVEILDIO Comiti Dorſett, & Sereniſſimæ Reginæ Camerario.

Illuſtriſſime Domine,

IN Chartulæ exiguæ ambitu Religionis noſtræ robur & papiſticæ futilitatem complexus fui, ne bonas horas in lento carceris otio malè collocarem. Si quis inter acres Romani Nominis vindices extiterit, qui ſcripturâ Teſte nos convincere poſſit erroris, vel monere periculi, quod in animas fide noſtra arceſſimus, magnum operæ pretium erit ad ſaniora converti. Id autem donec ab illis præclara minantibus, & nihil audentibus præſtitum fuerit, haud video quare de Romana Eccleſia magnificum aliquid, de noſtra contemptim ſentire debeamus.

Dignitatis Tuæ Cultor humillimus,

JOANNES BASTWICK.

ORNATISSIMO & Doctiſſimo viro D. Senjonio S. P. D.

JOANNES BASTWICK.

Vir præſtantiſſime,

NOn ſemper fama mentitur. Illa te non eruditum modò, ſed omnis philoſophiæ & Theologiæ arcana callentem concelebravit. Animadverto, illam modeſtiæ tuæ rationem habuiſſe. Nam ubi te cognovi, longè mihi Famâ major viſus es. Curatiſſimam enim eruditionem eâ morum ſuavitate temperaſti, ut meritis tuis ſupergreſſus ſis etiam diſerti amoris præconium. Quæ in te laus eò magis conſpicua eſt, quo infrequentior illi militiæ, cui tu Sacramentum dixiſti: utor tecum ea libertate, ad quam tua me humanitas provocavit. Quare cum nos in carcerem eundem, ſed cauſa diſpar; te defenſus, me oppugnatus Papa compegiſſet, commercium tui vitabundus declinabam: non odio in te, ſed metu tuorum, à quibus & me & veritatem quæ me mihi rarior eſt, non bene ſatis poſt privata colloquia habitos fuiſſe memineram, circumſonantibus hinc in Defenſores ut bonarum artium neſcios, vitâ probroſos, inde in doctrinam, ut fraudum & impoſturarum machinatricem, perabſurdis calumniis.

niis. Accidit etiam ut poſt nos mero caſu ſociatos & temporis anguſtiis ab omni diſſertatione excluſos, rumuſculi ſurdi quidem, haud tamen belli proſerperent, me quamvis provocatum conſcia ignavia detrectaſſe certamen. Non multùm exiſtimationi meæ ab ejuſcemodi vulnuſculis metuendum putabam: prudentis tamen eſſe, non exponere ſe nudum & apertum maledicentiæ. Refugiebam ergò congreſſum, & quidem eò magis, quod parum ſpei ſupereſſet, te veteranum & jam Judicio ſimul & ætate in caſtris papiſticis canescentem, veritate victum in partes noſtras traducere. Cæterum cum animi tui candorem experiundo didiciſſem, & prolixum in me affectum, flagrantiſſimumque ſalutis meæ ſtudium, cepi quoque incaleſcere deſiderio tui tuorumque ſermonum. Habet enim hoc humanitas, ut quovis faſcino efficaciùs alliciat. Sæpe auditus es dicere, te converſionem mei quovis pretio emptam velle, neque recuſare pedibus intectis Romam ire, ſi modò tam ærumnoſus labor mihi prodeſſe poſſit ad introitum Romanæ Eccleſiæ. Quid non de me meritur tam egregius animus? Fateor efferbuiſſe me quoque in vota paria tuis. Quid enim tam ſollicito amori reponerem, niſi pro tua quoque ſalute ſollicitudinem? Nec intra vota modò tua torpuit Humanitas, ſed lapſo manum porrigere, erranti viam monſtrare, comiter promiſiſti. Cepi ergo ſic in animum meum inducere, non poſſe me in Adyta veritatis certiori Duce penetrare, ſi fortè hactenus inter anfractus & ambages, palabundus erraverim. Nota mihi erat tua eruditio; humanitas vero ita obvia, ut etiam invito occurreret. Videbam,

Videbam, utrique otii satis imò supereſſe. Tum collocandi temporis haud ullam ultiorem rationem inveniri, neque carceris ſolatium amœnius. Igitur erudiri à te, corrigi, duci ultro concupivi, non quidem illa reciproca ſermonum vice & inter præſentes colloquio, quod tuibis obnoxium, neque fortunis noſtris tutum eſt; ſed hac pacata ſedataque literarum ἀμοιβῇ, à qua temeritas abeſt & ἀχημοσύνη. Memini, quod noviſſimo congreſſu conſtantiſſimè aſſeveraveris, ſolam Romanam veram eſſe Eccleſiam antiquitate, ſucceſſionis ſerie, ſplendore, magnificentia, unitate nobilem. In ejus Fide obdormiviſſe Majores noſtros, de quorum ſalute ambigere impiæ poſteritatis eſt: hanc etiam à profeſſis & capitalibus inimicis pro verâ haberi. Ab hac deviis & errantibus nihil relinqui niſi væ æternum. Optare te pro tuo communis omnium ſalutis ſtudio, ut ſopitis diſſidiis & ſublatis factionibus in hanc omnes redeant, relicto Lutheri Calvinique veterno, quo melius & favorabilius aliquid effingere haud tibi adhuc præ-dicabas. At ego contra non pœnitendâ pertinaciâ, neque veritatis neque ſalutis exſortem eſſe Eccleſiam noſtram pertendebam. Et in illa quidem affirmantis negantiſque ſimplici ratione omnis inter nos finiebatur diſceptatio. Veruntamen, quia tanti negotium momenti eſt de quo controvertitur, non dictis nudis, ſed dictorum rationibus certandum putavi: cæterum animo neque præfracto, neque inflato, ſed humili & melioribus monitis facilè obtemperaturo. Ratio autem, quæ me credere impulit, veram eſſe Eccleſiam noſtram, hæc princeps & invicta eſt, quod omnia illa,

illa, quæ eſſentiam Eccleſiæ conſtituunt, Eccleſiæ noſtræ conſtare & adeſſe video. Nam qua tempeſtate Chriſtus erudiendo terrarum orbi circummittebat Apoſtolos, id illis ſolum negotii dedit, prædicandi Euangelium, & adminiſtrandi Sacramenta. Omnibuſque gentibus & civitatibus Euangelio ſuo non reluctaturis pacem ſuam omnes complexam promiſit. Quare cum Euangelii ſincera prædicatio & prædicati fides, incorruptaque ſacramentorum adminiſtratio omnem religionis noſtræ cultum comprehendant, ipſamque conſtituant Eccleſiæ eſſentiam, de Eccleſia noſtra non niſi magnificè & ſperare & judicare debui, quæ neque doctrinam Evangelii vitiavit, nec adulteravit Sacramenta. At veſtra, cum Evangelii fontes humanàrum adinventionum luto polluerit, puritatemque Sacramentorum nova nugarum farragine corruperit, longè mihi videbatur à veritate deſciviſſe & Catholicæ tituſum nullo jam jure, ſed inani ſpecie obtendere: Nam præclare D. Auguſtinus cap. v. de vera religione: *Chriſtiani Catholici ſunt integritatis cuſtodes & recta ſectantes.* Hinc etiam impotentium animorum illa viſa ſunt convitia, cum nos Hæreticos vociferamini: nam expenſis ad Euangelii normam utriuſque partis ſententiis haud arduum judicatu eſt utra cuſtos integritatis, vel pravitatis hæreticæ manceps ſit. Noli putare, vir humaniſſime, hæc à me repeti, ut tibi exprobrem, quæ peccantur ab aliis, qui nimio Pietatis ut putant, ſtudio violant charitatem. Sanè cum genus id hominum cogito, Samaritanæ Eccleſiæ ſpecies mihi redit in animum: *antiqua erat, ſplendida, rituum dives & præfulgens ceremoniis,*

ceremoniis, Moſem in honore habebat, Meſſiæ venturi avida; ſalutis tamen exſors illius ore pronunciabatur, qui ſalutis eſt autor. Hæc apud te loquor confidentius moderatiſſimi ingenii virum & contemptorem inanium. Quam enim væcors eſt illa oſtentatio? *Antiqua eſt Romana Eccleſia.* Eſto. *At impia & ſuperſtitioſa. Dives, magnifica.* Quis negat? *Sed prolapſa in cultum idolorum.* Nulla capitalior Satanæ fraus eſt, quam execrandos errores honeſtare ementito decore Titulorum. His ille artibus quantam in Eccleſia veſtra labem dedit! Ritus Ethnicorum ab Apoſtolicis exploſos damnatosque reduxit, ſed obductos novorum nominum fuco. At Chriſtum ipſum retento ad ſpeciem nomine, ab Eccleſia & animis hominum protruſit. Hac fraude illi graſſandum erat, qui Antichriſtum collocare in ſolio Domini ſatagebat. His technis ad faſtigium ſurrexit ὁ ἀντικείμενος. Nam apertè id agere, ut Chriſtus majeſtate ſua deturbetur, ſtultorum eſt & inſanientium: cujus væcordiæ Samoſatenus, Arius, Valentinius, Neſtorius jam ante pœnas dederant irriſi contemptique. Nam quis adeò ſpem ſalutis ejuravit, ut apertè Chriſto maledicentem ferat? qui Dei naturam, arcana Trinitatis, Chriſti perſonam convitiis conſpuunt, communi conſenſu Chriſtianorum jugulantur. At myſterium illud Iniquitatis per occulta machinarum tormenta provehi debuit. Relinquenda erat Chriſto nominis ſpecies, ſed vis & virtus meritorum tollenda. Hac vafritie exterminandus erat Chriſtus, ut in æde Dei vacuus fieret Antichriſto locus. Exitialis impietas, per fraudem negare, quod re ipſa non auſis! Egregiè Seneca:

Quid intereſt utrum Deum neges an infames? Quid intereſt, utrum Chriſtum neges, an officiis ſuis exuas? Nam niſi amictus decoraſque officiis Chriſtus, nobis nullus eſt. Cum enim *Chriſti* nomine, *Regis, Sacerdotis & Prophetæ officia*; Jeſu autem verbulo ſalutis beneficia è tribus his officiis emanantia contineantur, haud dubium eſt, quin corruptrix officiorum corrupta ſit Eccleſia. Non incendam rei atrocitatem invidiâ verborum. Dicam molliter: in Chriſti officiis graviter erravit Romana Eccleſia; officia corrupit, evertit, violavit. Hujus tanti facinoris rea non eſt noſtra, tutrix ſemper & aſſertrix officiorum. Veruntamen jam nunc utriusque partis Doctrinas ὑποτυπώσεων hoc præmittere volui, in corollariis & additamentis Doctrinæ veſtræ, quæ veluti fimbriæ non ſatis ſanæ Axiomatibus noſtris aſſuuntur, nihil eſſe, quod non ſit ſupervacuum, quódque ignorari, contemni, deſpici, odio haberi ſine ſalutis periculo aut diſpendio non poſſit. Sed jam orſi *ab officio Regali* Doctrinarum inſtituamus ὑποτύπωσιν. *Reformatæ Eccleſiæ hæc fides eſt.* Chriſtum Jeſum univerſitatis rerum & Eccleſiæ ſuæ ſolum & unicum Regem, Moderatorem, Tutorem, Gubernatorem eſſe, utpote conſtitutum à Deo *ſuper mortem illum ſanctum*, Pſalm. 2. *traditaque illi omni poteſtate in cœlo & in terra.* Matth. 28. *Regem juſtitiæ* Heb. 7. *Regem æternum* Eſa. 9. *Regem Regum* Apoc. 17. Illum res quidem omnes, eximiâ tamen curâ tueri Eccleſiam, utpote ſanguine ſuo quæſitam, redemptam & uſurpatori Satanæ extortam: huic ab Imperatore ſuo Chriſto infundi juſtitiam, pacem, lætitiam, felicitatem, lucem, cognitionem Dei, & ſa-

& ſalutis certitudinem, quæque alia ab optimo & maximo Principe in ſubditos fideles profluunt beneficia. Regnum verò & Imperium hoc cœleſtis eſſe & ſidereæ naturæ, non mundani & mox perpetui fulgoris. Joh. 18. 38. Luc. 1. 33. utpote quod Spiritus & Verbi ſceptro, non humanæ potentiæ virgis & ſecuribus regatur. Vicarium autem huic Regimini datum fuiſſe neminem, Petrumque Monarcham, Papam ſucceſſorem, nugas eſſe & inventa ventoſæ ambitionis; non reperiri poſt Apoſtolorum tempora Duces & Doctores errare neſcios. Multitudinem, Miracula, divitias & faſtum Eccleſiæ veræ non eſſe notas. Eccleſiam verò non ſemper in aperto eſſe ſemperque videri. Patribus verò & Conciliis, niſi Chriſti Regis Edictis conſona ſtatuant, non eſſe obtemperandum. *At veſtræ, hoc eſt, Papali Eccleſiæ ſic placet.* Chriſtum, Regem quidem, ſed mundanum, neque ſolum, ſed diviſâ cum vicario curâ ſummæ rerum præeſſe. Illi vicario longa ſerie Papas ſuccedere, Capita & fundamenta Eccleſiæ. Non ſolis Chriſti legibus, ſed Patrum Conciliorumque placitis Eccleſiam debere regi, puniendoſque ſeverius Canonum temeratores, quàm violatores divinæ legis. Neque ſolo Dei verbo, ſed traditionibus moderandam. Illa ſtraminea huic ſceptro æqualia eſſe. Eandemq; frequentia hominum, ſucceſſionis ſerie, pompâ & faſtu magnifico, miraculis, antiquitate, & robore unitatis, tanquam genuinis indiciis cognoſci. Et hic te candoremque tuum appello, ut ſepoſitis tantiſper partium ſtudiis, expenſâ hinc inde litigantium ſententiâ, ſine amore aut odio judices, utra pars *de Chriſti officio Regali* ſanius

ſentiat. Noſtri Chriſto privilegia, prærogativas, honorem, gloriam ſoli & illibata relinquunt. Veſtri cuncta hæc vel hominibus aſſerunt, vel factâ inter Chriſtum & homines ſceptri ſocietate, contagione ſordidiſſimæ communionis Dignitatem Chriſti contaminant. Sed fortè impietatis Doctrinam illam damnare revereris, cui diu aſſuevisti. Hoc vide, an ſaltem ſupervacanea non ſit. Quid enim? Si quis Papæ, Patrum, Conciliorumque canonum neſcius & ignarus unius Chriſti ſceptro & legibus pareat, uni fidem habeat, unum in adverſis conſolatorem, unum in proſperis Patronum reſpiciat: Illine triſte quicquam in extremis ob hanc ignorantiam extimeſcendam putas? Scio tibi opiniones non ita acerbas eſſe. Age tamen, ſi quis Papæ ſciens, præfractè tamen & obſtinatè credat, Chriſto vicarium in terris nullum; Papam Antichriſto quàm ſimillimum; Romam hæreticam eſſe; non Patrum aut Conciliorum, ſed Chriſti legibus rectiùs obtemperari. Neminem non mortalium errori obnoxium: multitudinem, vetuſtatem, unitatem, opes malæ & falſæ Eccleſiæ non ſemel adfuiſſe. Num homini ſic comparato, ſic credenti, ſic morienti ſpem ſalutis unâ cum animâ abrumpas? abſit ab humanitate tuâ tanta immanitas. Quid enim peccavit? cujus delicti reus eſt, ita qui crediderit? Hoc aveo ſcire, quam ille legem tali fide violaverit. Nam legem tranſcendere hoc demum peccare eſt. Credo igitur, haud gravatè te aſſenſurum mihi vir eruditiſſime, ſine jactura ſalutis vel neſciri Papam & Papæ crepundia, vel non credi. *Reformatæ Eccleſiæ fides eſt.* Chriſtum inter Deum & homines ſolum

&

& unicum Mediatorem esse ; solum Deo satisfeciſſe, legem impleviſſe, αὐτὸν perſolviſſe, victimam ſui obtuliſſe : ſolum intercedere apud Deum Patrem, precibus noſtris viam patefacere ad Clementiæ aram, nobiſque precandi & adeundi fiduciam ingerere. Unicum ergo & Redemptionis & interceſſionis illum mediatorem esse : quare neque ſanctis vitâ functis, nec angelis ſupplicandum calamitatum noſtrarum neſciis, & infirmitatum ignaris, & cogitationum arcana non penetrantibus. Proinde Mediatoris partes malè arrogari Mariæ virgini, Mulierum quidem beatiſſimæ, ſed hujus ipſius Mediatoris egenti. Unicum hunc ſacerdotem non quidem promiſcuè pro omnibus, ſed pro grege, pro populo ſuo obtuliſſe ſe victimam Deo. Hunc unicum esse novi fœderis ſacerdotem ; nec alios in terris dari ſacerdotes, qui Chriſtum quotidie offerant victimam propitiatoriam pro peccatis viventium & mortuorum. Hujus Sacerdotis Sacrificium infinitæ virtutis fidelibus per Spiritus ſancti virtutem, Evangelii prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem applicari, ſemelque à ſe peractum in cruce non iterandum ab hominibus in terra. Hujus Sacerdotis juſtitiâ nos veſtiri, ejuſdemque virtute nos exſolvi à pœna & reatu. Præter hujus ſanguinem haud aliud esse purgatorium, quo labes & maculæ animarum noſtrarum expurgentur. Nulla esse tormenta & laniatus, quibus tolerandis homo ſatisfacere poſſit divinæ juſtitiæ. Multò minus opera dari ſupererogationis, quæ velut in horreum & apothecam Eccleſiæ repoſita, indulgentiarum inde nundinatione vænum exponantur haud ita bene merentibus.

Operibus noſtris à perfectione longè remotis, vitam æternam non acquiri. Miniſtris autem peccatorum remiſſionem, ut præconibus, non ut judicibus concreditam fuiſſe. *At veſtris hominibus ita videtur* : Chriſtum Redemptionis quidem Mediatorem; cæterùm Sanctis & Angelis ſuas in mediatione partes eſſe, multoque maximam virgini Mariæ, Reginæ cœlorum, & Paradiſi Portæ. Illis proinde utpote rerum noſtrarum ſcientibus & peritis vota, preces, ſupplicationes offerenda. Sacerdotes in terris alios ſecundum ordinem Melchiſedeci conſtituendos, qui quotidie Chriſtum offerant piacularem hoſtiam pro delictis fungentium vitâ & defunctorum. Hujus Sacerdotis juſtitiam nobis non imputari. Illius meritis nos à reatu quidem liberatos, pœnæ tamen teneri obnoxios. Animas corporibus ſolutas igne purgatorio luſtrari. Paſſionibus noſmet noſtris Deo ſatisfacere poſſe. Opera dari ſupermeritoria & ſupererogationis quæ in Eccleſiæ Theſaurum miſſa à cauponanti Papa vendantur popello vitæ ſolutioris. Vitam æternam operibus noſtris, ut labori mercedem deberi. Sufficere ad bonitatem operis, ut mens & intentio operis bona ſit. Miniſtros denique peccantibus condonare delicta, ut judices pro ſua auctoritate. Quid eſt vir præſtantiſſime, ſi non hoc eſt, Chriſtum nomine tenus Sacerdotem agnoſcere, reipſa abnegare? Speciem relinquere, vim vero virtutemque eripere? At ingens ille acervus accumulatarum in Chriſtum contumeliarũ nonne neſciri poteſt ſine fidei detrimento? Num Chriſtiano noceant tot commenta non credita? Puta virum bonum & ſalutis non incurioſum ſoli

Chriſto

Christo Mediatori incumbere, solius nomine preces & vota Deo offerre, solius sanguinolentâ victimâ Justitiam quærere, ignarum aliorum Sacerdotum, nescium alterius Mediatoris, alterius sacrificii, alterius meriti, alterius purgatorii: vererisne hanc illi ignorantiam apud dei Tribunal fraudi fore? Non autumo, tibi mentem tam lævam esse. Sed puta quem obduruisse in hac fide: Nullum esse præter Christum, vel mediatorem, vel Sacerdotem, nec Angelis, nec Sanctis, nec virgini Mariæ hujus Dignitatis deberi societatem. Illis res nostras neque sciri neque curari: Illis neque vota nuncupanda, nec fundendas preces. Purgatorium, ubi animæ crucientur, nusquam esse, nisi in visis Lunaticorum, vel planorum παραφρόνων. Sanctos tam pœna quam reatu solutos. Christi justitiam fidelibus imputari. Cruciatus nostros nihil posse ad satisfactionem, nihil opera ad salutem promerendam. Supererogationis jactantiam inanem esse, & aucupium Avaritiæ ad pudendos quæstus. Non satis esse bene voluisse, ut opus bonum sit. Nullam Ministro in condonandis peccatis esse autoritatem. Num hujus fidei obstinatio periculosa tibi videatur? Nulla Lex infringitur ita credendo, nullum mandatum læditur. Quid verò periculi est ὑδὲν παρεκβαίνοντα? *Reformata Ecclesiæ fides est*, Christum constitutum à Deo Prophetam, Pastorem, Doctorem, Testem, Præconem pacis: arcanum Dei consilium de redimendo genere humano propalasse, εὐαγγέλιον annunciasse, idque ipsum spiritu suo vegetare & roborare Sacramentis. Hunc prophetam *omnia nobis eloqui, quæ præcepit illi Deus*: Deut. 18. vers. 18.

In hoc Deo fuisse complacitum, illum nobis audiendum. Matth. 17. vers. 5. Ab hoc propheta perfectam Dei voluntatem fuisse promulgatam, consignatamque, eodemque curante literis veteris & novi Testamenti non ambiguis & obscuris, sed perspicuis & apertis, in quantum satis est promovendæ saluti. Has divinas literas controversiarum omnium Judices non egere Traditionum humanarum. Parendumque Deo non ex hominum mandatis, sed suis, hoc est, verè cœlestibus: proinde cultum Imaginum à Deo non jussum exterminandum è templis & animis. Festos dies à Domino non sacratos impunè negligi. Ciborum omnium usum quovis tempore legitimum esse, modò adsit moderatio & frugalitas ventris. Sacra linguis populo incognitis perperam celebrari. Nulli loco lignis & saxis materiato inesse sanctimoniam: vel propius in hoc quàm in illo loco preces nostras audiri. *Ita credit Reformata Ecclesia.* Non credit autem illa opinionũ portenta; Fidem justificantẽ esse posse sine charitate & operibus bonis; aut sine scientia fidẽ hominesve mersos in abysso corruptionis præparatoriis quibusdam imbutos esse ad gratiã, vel instructos meritis congrui. Conversionem non in solidum gratiæ, sed naturæ conatui ex parte acceptam ferri. Electionem dependere ex fide provisa & arbitrii liberi motu. Fideles ἀποστατεῖν. Concupiscentiam peccati immunem esse. Reges non præesse Jure divino. Clerum Regiis Imperiis non esse obnoxium. Hæreticis non servandam fidem. Cæcam Monachorum obedientiam laudabilem esse. Vota liberos rectè facere & solvere parentibus invitis. Matrimonium clerici cæde & adulterio detestabilius esse. Continentiæ donum omnibus non respuen-

tibus datum. Vectigal Pontificis è lupanaribus legitimum esse. Sacramenta gratiam conferre ex opere operato. Baptismo ablutos infantes peccati puros esse. Christi corpus simul esse pluribus locis, visum tamen tactumque effugiens. Panem & vinum μεταμορφοῦς in substantiam Carnis & Sanguinis Christi. Impios glutire carnem Domini. Calicis usum populo illicitum esse. Hæc & ejuscemodi monstra, quia *Propheta Christus non docuit, Reformata quoque non credit Ecclesia.* Hominibus autem vestras de prophetico Christi officio ἀποκαταστατικὸν dogma est: Christum quidem datum à Deo Prophetam, non tamen omnem Dei voluntatem annunciasse Ecclesiæ, nec datâ operâ redegisse in Scripturam, quæ luce & claritate sui controversias discuteret; sacras literas obscuras, periculosas & laicorum oculis subducendas esse. Traditionum, Patrum, conciliorum autoritatem Ecclesiæ necessariam esse, quæ Scripturæ expleat imperfectionem. Colendum Deum pro jussu legum humanarum. Imagines in Templis habendas, ut eruditrices indoctorum. Deum sculptili & mortali effigie rectè efformari. Festos dies religiosè observandos. Cibis abstinendum temporibus statis, Papa jubente. Ignotum linguæ idioma non officere precibus. Locum hunc præ illo sanctum esse. Credi posse & nesciri, nullâque re melius fidem definiri, quàm ignorantia. Fidei justificanti abesse posse charitatem. Homines absorptos voragine corruptionis, pollere tamen præparatoriis ad gratiam. Conversionem deberi cùm naturæ, tum gratiæ. Ex fide & recto arbitrii usu prævisis suspendi electionem: concupiscentiam eradendam ex indice

peccatorum. Non regnare reges autoritate Juris divini. Clerum sæculi imperio non alligari. Monachis cæcum & inconsultum obsequium laudi esse. Clericis Matrimonium par esse sacrilegio, aut si quod sit durius ἄγος. Adulterio non abrumpi conjugium. Continentiæ donum omnibus promiscuum esse. Vectigal meretriciam professis à Papa rectè imponi. Liberos parentibus invitis rite vota concipere. Sacramenta gratiam ex opere operato conferre. Aqua lustrali ablutos delictorum puros esse. Baptismo carentes morte mergi æterna. Christum pluribus simul locis esse invisum & intactum; panem & vinum μεταβάλλεσθαι in corpus & sanguinem Christi. In ventres impiorum demergi corpus Domini. Christiano populo calicis usum non concedi debere. Ita Christo quidem Prophetæ Doctorisque nomen manet, cæterum vis & potestas omnis penes Patres, concilia, Papam est. Sed pone jam vir eruditissime, virum aliquem non malum, & jam nunc πολιτευόμενον in cœlis ita affectum esse, ut soli Christo prophetæ suam dicare velit ἀκρόασιν, uni scripturæ patefactæque in illa divinæ voluntati auscultare: pone talem ita existimare, scripturas perfectas, perspicuas, omnium dubitationum eruditrices, omnium litium judices, omnium nodorum vindices esse: illas à populo debere legi: secundum has & vitam & mores debere componi. Num tali inquam viro, habitum Christo honorem delatamque summo Prophetæ reverentiam, nocumento futuram autumes? absit ab ingenuitate & candore animi tui tam flagitiosa dubitatio. Quid enim ille sceleris admittit, qui traditionum, festorum dierum, Imaginum, Jejuniorum

niorum & tot morosissimarum cæremoniarum nescius, Doctrinas illas veneratur quæ à Christo in solatium simul & exemplũ fidelibus relictæ sunt? Verum adde virum talem omnino credere, scripturas non sine summo scelere vel imperfectionis vel obscuritatis insimulari: grande nefas esse populum arcere sacris voluminibus: nec minus flagitium iis relictis ad Traditiones cõfugere. Impium esse mortali effigie Deum colere, adorandasve populo exponere Imagines. Tyrannorum esse, festos dies ab homine confictos terrore suppliciorum observandos obtrudere, & venti i benè morato certos cibos statis temporibus eripere. Haud licitum preces ignoto idiomate demurmurare. Absurdum esse loci unius sanctitatem alteri præponere. Ἀθάνατον verò, ut quis credat simul & nesciat; aut fides justi fica subsistat sine charitate; aut homo corruptus semet præparet ad gratiam; ut concupiscentia tollatur è numero peccatorum. Nefistos esse & detestabiles, qui jus divinum Coronæ regiæ eunt ereptum; vel clerum sceptri obsequio solvunt, vel fidem Hæreticis datam fallunt, vel ad cæcam obedientiam Monachos pertrahunt, vel clerici conjugium adulterio gravius calumniantur. Absurdos esse & importunos qui continentiæ donum promiscuum & obvium jactant; qui vectigalia è quæstum corpore facientibus laudant; qui vota liberorum parentibus invitis facta solvenda pertendunt; qui conjugum adulterio non violari perhibent. Graviter illos errare & falli qui sacramenta ex opere operato gratiam conferre cavillantur, qui baptismi participes peccatorum immunes,

lavacri

lavacri exſortes morti obnoxios vociferantur. At furere illos & κορυβαντιᾶν, qui Chriſti corpus pluribus ſimul locis nec viſu nec tactu ſenſibile prædicant, qui μεταμόρφωσιν panis & vini in carnem & ſanguinem ſomniant: qui carnem Domini ab impiis glutiri delirant: qui calicem ab ipſo Chriſto porrectum intercludunt & à populo avertunt: qui farinam vice Dei adorant: qui præſentiam corporis in terra nugantur, quod cœlo clauditur ad finem ſæculorum. Num talis inquam viri vel ignorantia quiſquiliarum Romanenſium, vel fides Doctrinæ intaminatæ aut viventi nocere aut mortuo ferre poſſit perniciem æternam? Quæ tam crudeli reperiatur ſententia? Quod enim hîc delictum: cujus legis παράβασις? Num cuiquam vitio erit, quod trepidet ἰδολατρεῖν, quod ἀθελοθρησκίαν reformidet? Quod Doctori & Prophetæ cœlitus dato auſcultet relictis hominum vel impietatibus vel nugamentis? Ita collatis inter ſe adverſis circa Chriſti officia ſententiis, haud puto dubium erit, utri parti intentius ſit pietatis ſtudium, quod unicum veræ religionis germen eſt. Si tibi autem, vir Præſtantiſſime, vel Intellectu impediticre, vel judicio minùs acri laborare videbor, quæſo ſuccurre laboranti. Hoc te dignum eſt. Hoc mihi in votis. Adhibe Scripturæ lucem & Illuſtra tenebras meas. Monſtra viam Domini, & reduc pedes meos è ſemitis errorum. Procul jubeo faceſſere pervicaciam opinionum, ubi te munitum animadvertero autoritate Scripturarum. Cæterum ſi clamore & ampullis verborum, & jactantia magnorum quidem, humanorum tamen nominum protelare ſententiam

tiam *Eccleſiæ noſtræ* in animum inducas, in promptu eſt ἀλαζονείαν illam contemptu ulciſci. Humanitati tuæ tantum debeo, ut timere non auſim, hoc officium me fruſtrà à te flagitaturum. Nec enim credibile eſt, te, qui acerrimum quemque noſtrorum depoposciſſe dicerıs ad certamen, nunc ſubterfugiturum partes Magiſtri, qui diſcendi avidum erudias in via Domini.

Vale vir Doctiſſime, & ama tui Studioſiſſimum

JOHANNEM BASTWICK.

DOMI-

DOMINO COLEMANNO
S. P. D.

JOANNES BASTWICK.

DIes haud ita multi ſunt, vir Acerrime, quod in Carceris noſtri contubernio de Religione noſtra tibi reſpondi. Cum rationibus tuis profligatis hæreres in iuro, non inſolito partibus veſtris more ſubſidium petebas à maledictis. Mirabantur aſtantes intemperiem animi tui & indecoram Eccleſiæ Catholicæ (uti jactas) alumno jurgandi libidinem. Quare cum ab aliis admonitus fuiſſes modeſtiæ, acrius in me efferbuit facundiæ tuæ rabies: in eo deſiit, me occaſione captâ & velut ex inſidiis impetum feciſſe in te veſpera illius diei, quem inter amicos hilarè & rorantia pocula combuſſeras. Tibi tum pluſculum invitato ſomni majorem, quàm diſputandi fuiſſe cupidinem. Sic à vitioſis moribus defenſionem petebas imbecillitati cauſæ.

Huccine recidiſſe res Eccleſiæ veſtræ, ut in tabernis inter mulierum cœtus vel ambiguæ vel damnatæ famæ, diem, pudorem, mentem denique illi perdant, qui dogmatum ſuorum veritatem carcere & vinculis affirmant! Hicine Eccleſiæ Romanæ Martyres? Ita nunc ingratiſſimi mortalium & Anglicanæ

Anglicanæ Eccleſiæ Forum invidioſo inquiſitionis titulo defamate. Damnatus es ad carcerem. Fateor. Sed is tibi vel judicum vel cuſtodum indulgentiâ, non carceris, ſed arcis & munimenti loco eſt. Nuſquam libertati Monachorum & Jeſuitarum ſecuritate majore conſulitur. Exeuntibus, intrantibus faciles portæ; dies, noctes, ubi vultis, agitis incomitati; incuſtoditi menſes totos vel vobiſmet ipſis inter vina & mulieres corrumpendis vel ſeducendis ad fœdiora imperitis civibus erratis pro lubitu: cum illis interim, qui Regis Majeſtatē contra vim Papæ, contra inſidias & furta protegunt, non aëris, vix vitæ liber uſus concedatur. Sed ingratæ ſunt querelæ, etiam cum neceſſariæ. Veruntamen, quod te veſpere illo victum vino dixeris, equidem miror. Nulla enim emicabant ebrii ſigna; niſi furorem illum excipias & diſputandi libidinem, qua tum in me proruebas. Hunc forte in te calorem ſuſcitaverat ignis Bacchi. Cæterum quia ſpero, tibi dies aliquando ſiccos agi, conſultum putavi te per literas alioqui, ut ſedatior inter nos ſermo & compoſita magis de re tota ſit diſputatio.

Sæpe enim auditus es optare aliquem dari, qui tecum deſcendat in certamen. Quare purgatis ab omni livore animis placidè inter nos examinemus Romanæ Eccleſiæ veritatem, quam tu ſolam & unicam in orbe Terrarum prædicare ſolitus es. Sanè quanquam jam ante ad Senjonium Sectæ & carceris tui ſocium, virum uti tu crepabas, invictum & omnium Calvinianorum Malleum, Eccleſiæ noſtræ veritatem literis adhuc reſponſum flagitantibus aſſeruerim: operæ tamen pretium putavi Diſſertationi illi καθαιρετικῇ, & aſtructrici rerum noſtrarum

nostrarum ἀνασκευαστικὴν, & nugarum vestrarum destructricem subjungere, ut simul à duobus strenuis viris quid in nos, & quid pro vobis dici possit addiscerem. Quare dum Senjonius tuus desudat responsum, exercere nos jam nunc incipiamus. Nec iniquè feres si statim in limine tibi Διαλεκτικοτάτῳ Syllogismum opposuero.

Ecclesia Idolatrica in toto simul & partibus corrupta, in qua neque Doctrina neque Disciplina sanæ sunt, illa inquam Ecclesia non est vera. Sed Papistica talis est.

Universam priùs arguemus, exinde partes. De universa sic pronuncio. *Ecclesia Papistica non est Catholica, non Apostolica, non una, non sancta. Ergo non est vera. Consequentiam vides, agnoscis enim* notas quatuor, quibus ipsi veritatem Ecclesiæ describitis. Antecedens probatu facilis, vobismet ipsis adjùtantibus: sanctam enim dici Ecclesiam fatemini propter Doctrinæ sanctitatem, & unam ob unitatem fidei. Fides igitur ad Ecclesiæ unitatem necessaria est. Unde infero. *Ecclesia quæ fidem Catholicam & Apostolicam non retinet, illa nec Catholica, nec Apostolica est. At Papistica non retinet.* Minorem probo. *Quæ verbi prædicandi Puritatem & Sacramentorum à Christo institutorum γνησιότατα Disciplinæ ἀκίβδηλον amisit, illa fidem Apostolicam & Catholicam non retinet:* Et per *consequens neque sancta, nec una, nec Apostolica, nec Catholica Ecclesia est.* Quanquam enim vos Papæ Satellites verbi puritatem & legitimum usum Sacramentorum eraseritis è notis Ecclesiæ, tamen inter Ecclesiæ dotes non separandas eadem cognoscitis. Quare nihilominus audeo concludere, *Papisticam Ecclesiam dotibus his exutam non esse veram & Catholicam.* Sed de dotibus his,

his, num adſint abſintve, videndum reſtat.

At verbi quidem in illa exoleviſſe Puritatem, ita probo. *Eccleſia Papiſtica Articulos fidei fundamentales evulſit; fidem ipſam corrupit: Idolatriam induxit. Ergo Doctrinæ puritatem amiſit.*

At inter fidei fundamenta, ſine qua Deo nemo placet, ſalutis certitudo eſt, quam homines veſtri impiiſſime labefactarunt. *Perſuaſum mihi eſt* inquit Apoſtolus Rom. 8. ver. 38. *neque vitam, neque Angelos, neque Principatus, neque poteſtates, &c. poſſe nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro.* Hinc divinis illis elogiis fides inſignitur Hebr. 11. verſ. 1. ὑπόστασις καὶ ἔλεγχος *ſubſiſtentia & evidentia rerum, quæ ſperantur.* Hinc πληροφορία fidei comes & aſſecla Rom. 4. verſ. 21. dubitatio autem umbra ἀπιστίας. Hinc firmitas, robur, vis, potentia fidei toties ab eodem Apoſtolo celebrantur, qui nos jubet ὑκ ἀδυνεῖν τῇ πίστει ἢ διακρίνεσθαι, ἀλλ' ἐνδυναμοῦσθαι. At apud vos fides & πληροφορία ventoſæ & inanis confidentiæ titulo traducuntur; unde Concilii Tridentini decretum eſt Seſſ. 6. cap. 9. Non credi ſalutem, ſed ſperari magnâ ſpei contumeliâ, quam fallacem Tridentini & inſtabilem faciunt, cum tamen animæ Anchora, Hebr. 6. verſ. 19. appelletur ab Apoſtolo & πληροφορίας attributo decoratur.

Sed hoc velim mihi exponas paulò familiarius, quid in Apoſtolorum Symbolo ſibi velit articulus, credo remiſſionem Peccatorum, & alter ille ſubſequens, credo vitam æternam. Nam ſi illorum, ut veſtri docent hîc modo ſenſus eſt, eſſe remiſſionem & eſſe vitam, aveo ſcire quî fides veſtra præmineat fidei Diabolorum. Nam & ipſi de eo non ambigunt.

gunt. Si dixeris hominem in Poteſtate conſtitutum, excluſum Diabolum iterum interrogabo, quî tua fides excellat fidem hypocritæ: Nam impiiſſimè ὑποκειμένου nihil impedit credere, remiſſionem eſſe & vitam. *Vide quorſum abierit Eccleſiæ veſtræ gloria, cum Diabolis & impiis tanta quanta vobis fides ſit.*

At juſtificationis doctrinam fidei fundamentum, Januam Eccleſiæ, ſemitam quâ itur in cœlos convulſiſtis, clauſiſtis, obſepſiſtis. Hujus *materiam, Formam, Efficientem* prodigioſis erroribus corrupiſtis, ne quid uſquam in illa ſanitatis ſupereſſet. Sed de materia primùm diſpiciamus. Illam ſcripturæ, ſtatuunt in Chriſti obedientia uſque ad mortem, unde D. Paulus: *In Chriſto habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum*, Coloſ. cap. 1. verſ. 14. Et alibi: *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita per obedientiam unius, juſti conſtituuntur multi*: Rom. 5. verſ. 19. Rurſus Rom. 8. verſ. 34. *Miſſus eſt Chriſtus in Carne peccato obnoxia, idque pro peccato* ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, *ut juſtitia legis in nobis impleretur.* Iterum Rom. 10. verſ. 4. *Chriſtus eſt finis legis ad juſtitiam cuivis credenti.* Sic D. Petrus Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 18. *Chriſtus pro peccatis ſemel paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret.* At veſtri quamvis Chriſtum Juſtiſſimum fateantur, & lege adimpleta ſatisfacientem Deo, Chriſti tamen obedientiam negant eſſe juſtitiam noſtram; ſed eam in operibus humanis & meritis collocant. Unde Concilii Tridentini Seſſ. 6. cap. 7. hoc effatum: *Materiam juſtitiæ noſtræ eſſe opera noſtra.* Cum autem opera noſtra imperfectionum

fectionum fœta sint, nec satisfaciant Legi, impossibile est, ut operibus nostris assequamur justitiam. *Sic quantum ad justificationis Materiam à fundamento, à fide, à Doctrina Catholica Papistarum aberrat Ecclesia.*

Nunc *formam* videamus: Hanc scripturæ constituunt in imputatione obedientiæ Christi, quæ gratis à Deo applicata, & a nobis per fidem recepta nos reconciliat optimo Patri. Hoc apertissimè asserit Apostolus, Rom. 5. vers. 10. *Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus: multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* Nec ambiguè. 2 Corinth. cap. 5. vers. 18. *Hæc omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Iesum Christum.* Hinc ipsum Evangelium, quo Forma justificationis nobis proponitur, διακονία τῆς καταλλαγῆς, *ministerium reconciliationis indigitatur.* Et ne quis uspiam dubitantibus scrupulus hæreat, disertè eodem loco idem ait Apostolus. *Illum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* Hinc est, quod toties Scripturæ Justitiam nostram non in efficacia bonorum operum, sed in malorum remissione collocant. Sic Actor. 13. 48. *Notum sit vobis fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per Iesum, &c.* Sic Rom. 4. vers. 24. *Sed etiam propter nos, quibus futurum est, ut imputetur iis qui credunt in eum, qui excitavit Iesum Dominum nostrum à mortuis, traditum propter offensas nostras, & excitatum propter justificationem nostri.* At vos justificationis *Formam* non in imputata Christi justitia, sed in bonorum operum meritis collocastis: illis enim justitiam veram & æternæ vitæ meritum adscripsistis. Hoc operum

bonorum

bonorum meritum vobis *forma juſtitiæ eſt.* At quis illorum opera mereri præmium dixerit, qui cum enixè *omnia fecerint, ſervi tamen inutiles & nulli rei ſunt? Sic in Forma juſtitiæ deſerto fundamento, rejectis Scripturis, abjecta fide, toto cœlo aberratis.*

Supereſt cauſa *efficiens.* Illa, ſi Scripturæ auſcultamus, Amor Dei & gratia eſt. Sic Paulus, 2 Timoth. 1. 9. *Deus ſervavit nos & vocavit vocatione ſanctâ, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo proposito & gratia, quæ data quidem eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæculorum.* Et Epheſ. 1. 5. *Deus nos prædeſtinavit, quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum pro benevolo voluntatis ſuæ affectu. Ruſus ibidem: Deus qui dives eſt miſericordia, propter multam illam charitatem, qua dilexit nos, etiam cum per lapſus mortui eſſemus, nos una cum Chriſto vivificavit, cujus gratia,* inquit, *ſervati eſtis.* His conſonat illud D. Pauli ad Titum. 2. verſ. 11. *Illuxit gratia Dei ſalutifera quibuscunque hominibus.* Et illud Johan. 3. verſ. 16. *Ita dilexit Deus mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* In hoc omnes ubique Scripturæ concinunt, *Dei gratiam, Benevolentiam, Propoſitum, Amorem,* Juſtificationis noſtræ ſolam & unicam cauſam eſſe. At hominibus veſtris quanta hîc cum Scripturis diſſenſio eſt? Qui liberum hominis arbitrium in tantum evehunt dignitatis, ut inter cauſas ſit & quidem primaria. Nam cum mortuum, extinctum, penitus ſublatum Scripturæ pronuntient; veſtri ſopitum modò & languidum admota Dei gratia exſuſcitari dicunt ad officium; inſigni contumelia divinæ gratiæ, cui ſalutis noſtræ principalis eri-

pitur

pitur efficacia. Jam verò quàm immane istud, quàm impudens: Deum commoveri, ut benè velit nobis operibus nostris præparatoriis, quæ gratiam exinde uberiorem proliciant? Inverso certè vocationis nostræ statu. Non enim vocat nos Deus, vel amore impulsus, vel misericordia, sed inductus operibus nostris, quæ gratiam promerentur. Hoc dogma vestrum est, exosum cœlo, exitiabile terris. Hinc meritum illud congrui excluſit Schola omnium portentorum fœcunda nutrix, quasi operibus extra fidem factis aptum sit & congruum τῷ προσαρμόζοντι, gratiam reddi, veluti præmium; homini quippe nondum renato, sed quantum in se est, in bonum incumbenti, de congruo teneri Deum, ut gratiam eidem liberiorem impertiatur. Hæc vestrorum constans & pervicax opinio est, tantum à Scripturarum distans veritate, quantum ab inferis Superi dissident. *Sic doctrinam Iustificationis magnum fidei fundamentum Papistica corrupit & convulsit Ecclesia.*

At in demoliendo cultu unius Dei, fundamentali certè omnis Religionis Articulo quantum laboris & impiæ curæ collocavistis? *Unum colite Deum, unum adorate, Scripturæ vox, imò naturæ est.*

Simulachris aut imaginibus Deum effigiare, ipsius Dei edictis prohibemur. *Dominum Deum tuum coles*, inquit maximus Magister Matth. 4. vers. 10. κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις & *ei soli servies.* Idolatriam vero Scriptura quot verbis, tot diris insequitur. At quid Romana Ecclesia? Cultum idolorum verbis damnat, reprobat, notâ & veteri Judæorum arte. Angelis, Sanctis, reliquiis supplicat;

cat : ſed Δουλείας, non λατρείας affectu inquit. Quaſi vero colere & ſervire in ſacris diverſa ſint. Vide Rom. 1. verſ. 25. Rom. 7. verſ. 6. cap. 12. verſ. 11. cap. 16. 18. Epheſ. 6. verſ. 7. Actor. 20. verſ. 29. Phil. 2. 22. & tum illarum vocum, ſi quod inveneris, jacta diſcrimen. Finge interim & reſpondeo, utra voce cultum religioſiorem contineri putes. Haud dubiè pernicioſiùs peccat, qui in ſacris creaturæ ſervit. Sed rudis plebecula num inter δουλείαν & λατρείαν docta eſt diſtinguere ? Haud puto, te tam inſulſum eſſe, ut tam inepta dicas. Cæterum ſubmiſſis genibus adorare ſtatuam, nonne λατρεία eſt ? Eidem preces & vota offerre ecquidnam eſt ? Si ſurdis cantas fabulam, ſtupor eſt & dementia : ſi exaudiri vos ab illis exiſtimatis, haud dubiè divinitatem ſaxo & robori adſcribitis. Cæterum ligneæ vel ſaxeæ cruci quin λατρείαν exhibeatis, ne ipſi quidem negant, quos nihil pudet. Crux tamen creatura eſt, & manubus humanis dedolatur : nec ulla huic acceſſit μεταποίησις, qualem in placentula euchariſtica ſomniaſtis. Nec ipſi modo cruci is honos habetur, è qua pependit Salvator ; ſed omnibus ſimulachris, formis, figuris quæ ad eam ſimilitudinem effinguntur, ut Thomæ in parte 3. ſummæ quæſt. 25. articul. 4. Cajetano in commentariis ſuis in illum locum Thomæ, & Andradio in l. 9. Orthod. explic. Eccleſiæ veſtræ oraculis placuit. Haud inquè feres igitur, *ſi Romanam Eccleſiam Idololatricam corrupto fidei fundamento Catholicæ Eccleſiæ jure & dignitate excidiſſe concluſero.*

Fundamentalium Articulorum ſequitur alius non mitiùs à vobis aut clementiùs habitus. Scripturæ oraculum eſt : *Dei legem non poſſe impleri ab homine ;*

homine; proinde è *legis obſequio fruſtra ſperari ſalutem.* Hoc D. Paulus ad Galatas cap. 2. verſ. 15. 16. omnium Apoſtolorum nomine diſertiſſimis verbis eloquitur: *Nos qui natura Iudæi ſumus, & non ex gentibus peccatores, ſcientes non iuſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti, etiam nos in Ieſum Chriſtum credimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propterea quod non iuſtificabitur ex operibus legis ulla caro.* Imò ne quis ulli dubitationis hæreat, ſubdit cap. 3. verſ. 16. *Maledictionem omnibus incumbere quotquot ex operibus legis ſunt.* Lex enim promiſcua damnatione in omnes ſævit qui peccatis ſunt obnoxii, è quorum ſe numero nullus exemerit: *Si diximus nos non peccare, mendacem facimus Deum, & ſermo ejus non eſt in nobis*, inquit D. Johannes Ep. 1. Cap. 1. verſ. 10. Quare D. Paulus ad Phil. 3. verſ. 8 diviniſſimè diſſerit in hanc ſententiam. *Quin etiam certè duco, omnia damnum eſſe propter eminentiam cognitionis Ieſu Chriſti Domini mei, &c. ut Chriſtum lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam juſtitiam quæ eſt ex lege, ſed eam, quæ per fidem eſt Chriſti, juſtitiam ex Deo per fidem.* Et ad Rom. 8. verſ. 3. non modo legis ἀδύνατον, ſed impoſſibilitatis illius cauſam exprimit τὸ ἀδύνατον τῆς σαρκὸς, cujus pondere degravari aſſurgere non poſſumus ad illa officia, quæ à nobis efflagitat cœleſtis Imperator. At homines veſti, ſeruari poſſe implerique legem, acerrimè contendunt; adeo ut Tridentini Seſſ. 6. cap. 3. contra ſentientes impietatis notis inuſſerint; Ajunt enim. *Impia eſt ſententia, Deum impoſſibilia præcipere.* Nec hîc ſtetit illorum audacia.

Majus

Majus aliquid & excelsius & excellentius ab homine præstari docent, quàm ipsa lex exigat: hinc supererogatoria opera enata sunt, & conflatus indulgentiarum Thesaurus, quem tantâ curâ obmuniverunt Tridentini Sess. 21. cap. 9. atroci in Salvatorem Christum contumeliâ; cujus hæc unius gloria est, quod præstitis ultra supraque legem officiis salutem perditis & desperatis hominibus restituerit. Nam si illius obsequium legis postulatis tantummodo exæquatum fuisset, actum erat de nostra beatitudine, quam per gravissimos cruciatus & mortem spontaneam, non flagitatam à Lege, paravit fidelibus. Hoc Christi opus supererogatorium est. Hoc nixa est redemptio, justitia, salus generis humani. Et hoc quidem loco Romanæ iniquitatis detegitur mysterium, quæ sanctorum hominum supererogatoria opera nobis imputari docet. At Christi obedientiam supererogatoriam illiusque justitiam nobis imputandam deridet & abnegat. *Nonne impius furor est, hoc Christo salutis Autori eripere, quod homini suffragiis humanis in divos relato concedas?*

Sed divertamus ad alium articulum. Inter sacra principia est: *Doctrinam omnem, quæ saluti necessaria sit, in Scripturis contineri.* Hinc ita sollicitè cavet Moyses, Deut. 4. 2. ne quid addamus Dei verbo, detrahamúsve. Hinc contrarium audentibus malum, & væ, & anathema denunciatur. At Romanis quàm contemptim habetur id præceptum? Sarcinæ, cumuli Traditionum in Ecclesiam coacervati fuere, quibus obrutæ Scripturæ jamdudum suffocantur: & tamen illas Tridentini Sess. 4. *Pari pietatis*

pietatis affectu recipiendas venerandasque, quo scripturas præcipiunt. Cum ipsi audacia vestra væ illud Dei & anathema provocaveritis, nolite expectare ut concludam, vos à vera & Catholica Ecclesia jamdudū abscissos esse.

Sed articulorum non infimus est : *Peccatis omnibus deberi mortem, & quidem è meritis condigni.* Hac sententia etiam originale peccatum mactat Apostolus. Rom. 5. *sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pervasit, in quo omnes peccarunt.* Et Rom. 6. vers. ult. in omne promiscuè peccatum hanc enunciat mercedem, hæc ὀψώνια ; *mortem.* Sic Deus ipse apud Ezech. 18. vers. 4. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* At vestri, velut emancipati mortis imperio & peccati legibus, peccata sua natura venialia constituistis. Illamque sententiam Tridentinorum autoritate munitam populo credendam obtruditis. Hinc exarserunt purgatorii ignes, quibus pœnæ peccatis venialibus debitæ persolvuntur. Illis quippe flammulis exuruntur peccata ista leviuscula. Medicorum filii eos periculosissimè ægrotare perhibent, quibus mens laborat & mali magnitudo non intelligitur. Vobis res non est in minori discrimine, peccati luem non intelligentibus & supplicii incuriosis. Cæterum, quàm hoc immane est, concupiscentiam, omnis mali fomitem post baptismi lavacrum, peccati absolvere. Sic enim Tridentini Sess. 5. Cap. 5. *Naturale est concupiscere, nec magis rationem induit peccati, quàm spirare.* Quod axioma palmaris impudentiæ est. *Quare cum Regno cœlorum excludantur, qui peccata sua non agnoscunt, haud dubiè Romanenses Ecclesiæ veræ & Catholicæ fi-*

nibus ejiciendi sunt, qui peccatorum cognitionem ex animis exterminant.

Jam supereſt alter momenti non levis, *Scripturæ notitiam populo neceſſariam eſſe ad ſalutem.* Hinc illa Magiſtri Maximi adhortatio: *Scrutamini Scripturas: nam vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtantur de me.* Joh. 3. verſ. 39. & illa Saducæorum Scripturas ignorantium objurgatio. Marc. 22. verſ. 24. At vos neque Chriſti exhortatione moti, nec objurgatione deterriti Scripturas populo eripitis. Unde fit, ut extincta luce palabundus miſer populus ceſpitet in tenebris; ut miſerrimus Grex ſæviente atrociſſima lue, ſubductis bonis & ſalutaribus herbis inops ſolatii & remedii acervatim cadat. *Hinc concludo, Eccleſiam illam veram non eſſe, quæ veritatem ab iis abſcondit, quorum intereſt eam habere perſpectiſſimam.* Quid enim, ſi non hoc abſcondere eſt, ignotæ linguæ ſonitu & murmure imperitas aures obtundere ſimul & eludere? Jam verti ſcripturas in linguas populis vernaculas, ægrè conceditis: verſas verò pauculis, idque ſcrupuloſa cautione permittitis. Et ne populus, jus ſuum à Deo datum ſibi ereptum, indignetur, incautos mortales fraude vaferrima circumveniſtis, *docendo fidem implicitam*, hoc eſt, cæcitatem, ignorantiam, ſtuporem, & brutam vecordiam optimum inſtrumentum eſſe adipiſcendæ beatitudinis. Sanè ſi ſcribis & legum peritis væ & extrema malorum Chriſtus obnunciat, quod ſcientiæ clavem ſuſtuliſſent: *Quomodo Pontifex Romanus & ferruminatus illi clerus effugiet tantam damnationem, qui Scripturæ lucem ſolemque ſuſtulit ex Eccleſia?*

Articulorum

Articulorum noviſſimus hic eſto. *Hominem idoneum non eſſe, ut pro peccato leviſſimo ſatisfaciat Deo.* Sic D. Petrus 1 Epiſt. Cap. 1. verſ. 24. *Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut nos peccatis mortui juſtitiæ viveremus*, & addit, *cujus vibicibus ſanati eſtis*, Sic D. Johannes Theologus Apocal. 1. verſ. 5. *Chriſtus nos lavit à peccatis ſuo ſanguine.* Sic 1. Epiſt. Johannis Cap. 2. verſ. 2. *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Sic D. Paulus ad Romanos Cap. 3. *Chriſtus eſt à Deo propoſitus, ut eſſet placamentum ſive propitiatio per fidem in ſanguine ejus.* Sic Cap. 4. ad Roman. verſ. 25. *Chriſtus traditus eſt propter offenſas noſtras, & excitatus propter juſtificationem noſtri.* Et ſanè arrogare tibimet ipſi tantum dignitatis & virium, ut ipſe per te Deo ſatisfacias, quid aliud eſt, quàm exitioſa ambitione niti, ut ipſum te facias Deum? Cujus ſuperbiæ & arrogantiæ rea eſt Romana Eccleſia, ſatisfactionibus humanis, corporis cruciatibus & tormentis, quæ neque Deus præcepit, nec exigunt Scripturæ, fugitura ſe mortem æternam & placatura iram Dei, falſiſſime opinatur. *Unde concludo Eccleſiam Romanam ſatisfactionis Chriſti contemptricem, & humanarum ſatisfactionum merito confiſam & ſuperbientem, à vero ſalutis fundamento longè rejectam eſſe, & Catholicæ veræque Eccleſiæ finibus longiſſimè exterminatam.*

Sed exſcindo Doctrinæ veſtræ carcinomate, agedum admoveamus manum Sacramentis, quorum ea natura eſt, ut à Dei verbo & Doctrina dependeant, divinaſque promiſſiones & arcana ſalutis nobis obſignent. Quare nec alia ab iis, quæ Chriſtus inſtituit, invehi in Eccleſiam, vel aliter

quam ipſe præcepit adminiſtrari debent. Et de Sacramentis quidem in genere primò diſſerendum; exinde de illis in ſpecie diſceptabimus. Nec objiciam vobis Sacramentorum importunam multitudinem, quamvis auctus eorum numerus flagitioſæ fuerit audaciæ, quia tempus monet, ut ad graviora properemus. Id axioma æternæ veritatis eſt. *Sacramentorum extra uſum legitimum, nec uſum ullum nec virtutem eſſe.* Legitimus autem illorum uſus eſt, uti cum fide percipiantur: infidelibus enim nec uſus eorum, neque fructus eſt. At cum fidem dico, de adultis loquor capacibus fidei. Infantibus autem Baptiſmus neque gratiam infundit, aut inſtillat fidem, ſed fœderis ſymbolum eſt. Cum enim Sacramenta è verbo dependeant, quod citra fidem non juvat, fructus ab illis quoque ſperari nequit ſine fide perceptis. Quare gratiam Sacramentis includere infidelibus etiam efficacem, hoc demum eſt extra fundamentum veritatis opinionum & errorum rudera accumulare. Nam Sacramentis eadem quæ verbo ſine fide percepto utilitas. Id autem. *Iſraelitis olim profuiſſe negat Apoſtolus.* Heb. 4. verſ. 2. *quia fide non erat contemperatum.* Evangelii enim fide profuturi appendices ſunt Sacramenta non niſi per fidem ſalutaria. Unde egregiè D. Paulus Rom. verſ. 28. 29. *Circumciſionem manu factam inanem, at illam cordis efficacem, docet quæ in ſpiritu eſt, non in litera.* At homines veſtri gratiam ſacramentis penitus inhærere clamitant, & ſine fide ullove bono motu eadem percipientibus profuturam. Quæ opinio Seſſione 7. Concilii Tridentini ut à cum abortu operis operati diligentiſſimè fovetur. Contra monſtrum

hoc

hoc sic argumentor. *Qui ex opere operato sine fide, sine motu bono gratiam, peccatorum remissionem, Regnum cœlorum assequi ambit, ille à salutis fundamento aberrat. Sed ambit Romana Ecclesia.* Sed age, Doctissime Domine, dic sodes, quænam sit illa gratia, quam conferri Sacramentis contenditis. Estne Remissio peccatorum ? Explica me ex hoc dubitationis æstu. Postne adultus fidei inanis, imò obstinatus non credere, potestne talis remissionem obtinere peccatorum ? Reclamat Scriptura, negant omnes qui nondum mente alienata sunt. Quid ergo ? Num fidem conferunt ? Minimè. Nec enim parvulis fidem infundit Baptismus : at adultis sine fide ad Sacramenta accedentibus fidem ab illis inseri, absurdum. Sed quam fidem ? Catholicam ne ? Nugæ. Illa enim scientia pura puta est & Doctrina, quæ tam celeri commeatu non transfunditur : nec enim repente Doctores prodeunt, qui à Sacramentis revertuntur. Sed dic quam fidem, vir bone, Formatamne ? an Informem ? Informis certè Deo placere non possit. Formata autem unde infantibus ? Informem enim formata subsequitur. At informis quomodo pullulavit in parvulis ? Jam Charitas, quæ apud vos fidei forma est, quando erepsit infantulos ? *Vides, quanta vos circumstet absurditatum moles : quanta populum miserrime circumventum caligo : quanta Romanenses à veritate avulsos ruinæ formido.*

Alterum à veritate Principium accepimus, *Sacramenta non causas esse, sed symbola salutis : nec lethalem esse carentiam eorum, sed contemptum.* At Romana Ecclesia Tridenti docuit Sess. 7. cap. 4. *Sacramenta tam absolutè ad salutem necessaria esse, ut*

eorum egenis ſpes nulla ſuperſit ſalutis, ne parvulis quidem exceptis, quos aquæ penuria arcuit à Baptiſmo. Quaſi ſalus & vita æterna, quam ſtabilivit æterna electio, tot promiſſa firmarunt, tam efficacia Chriſti merita peperierunt, ab inconſtantis aquæ fortuita dependeat aſpergine. Qua opinione vix quicquam dementius.

Sed Euchariſtiæ Sacramentum ſpeciatim examinemus. Veritatis fundamentum eſt. *Chriſti corpus è ſubſtantia beatæ Virginis ſemel natum ex alia materia conflari non poſſe: utumque Chriſto ſemel nato corpus eſſe.* Huic aſſertioni teſtem habemus D. Paulum Rom. 1. verſ. 3. *Factus eſt Chriſtus ex ſemine Davidis ſecundum carnem.* & ad Galatas 4. verſ. 4. *Poſtquam venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factam legi obnoxium.* & ad Rom. 9. verſ. 5. Apoſtolus ait, *Chriſtum à Judæis deſcendiſſe quoad carnem attinet.* At Romanenſes multa Chriſto corpora & è rebus inidoneis materiata affinxere. Tridentini Seſſ. 13. Can. 2. & 4. corpore illum farinaceo & in carnem tranſlubſtantiato induunt, & factum è vino ſanguinem venis illius infundunt. Ita ut non ex ſemine Davidis, ſed tritici & vitis novum nobis Chriſtum exhibeant. Contra hoc portentum ſic diſputo. *Si tenemur credere, Chriſtum è virgine natum, tum fidei fundamentum everſum, qui credi jubent Chriſtum è farina conflatum. Sed id jubet Romana Eccleſia. Nam corpus è frumento compoſitum idem non eſt cum illo, quod è Mariæ ſubſtantia emanavit. Nam quod ex pane eſt, non eſt è virgine: atqui verum corpus ex virgine eſſe, ſacrum Eccleſiæ & intemerandum principium eſt.* E quo pernicioſo Papiſtarum dogmate profluit aliud

aliud æquè exitiabile. Non unum Chriſto corpus eſſe, ſed infinita. Non enim fieri poteſt, ut corpus idem hoc in loco ſit, & deglutiatur in alio: illic enim comminueretur, dum hic manet integrum. Et ſanè illud qui ſumunt, hoc non ſumunt, niſi individua multa & diverſa numero eadem ſtatuas, quod abſurditate ſua etiam plumbeis ingeniis indignationem incutiat.

Atqui fundamentalium Articulorum potiſſimus hic eſt. *Redemptionis noſtræ momentum omne verti in unico & cruento Chriſti ſacrificio.* In hoc omnes ſcripturæ ſunt. Hoc unum agunt Prophetæ, Apoſtoli, Evangeliſtæ. At Romanenſes Sacrificium aliud, idque incruentum, excogitarunt, quod pro vivorum mortuorumque peccatis quotidiè offeratur Deo. Huic ſacro peragendo Sacrificulorum major conſecrata eſt turba, quàm olim convenerit ad inſanam turris Babylonicæ fabricam, in quorum te quoque numerum, Virtrenue, vel caſus conjecit, vel inconſultior voluntas. Hi Chriſtum Deo Patri diluculo immolant, quaſi nondum peracto illo ſacrificio, quo mundus expiatus rediit cum cœlis in gratiam; qua contumelia nihil in Chriſtum deſignari potuit atrocius.

Accedit huic Articulus alter. *Unicum ſacrificium Chriſti non potuiſſe offerri, niſi à ſemetipſo, qui in æternum Sacerdos eſt.* Nam in veteri fœdere Sacerdotes mortales erant. Hic autem æternus & imperio mortis emancipatus. Quare ſolus ille offerendæ victimæ idoneus fuit, cujus æterna foret vis & efficacia, quod in divinſſima ad Hebræos Epiſtola magna cum majeſtate orationis enarratur. Chriſtus enim ſummo ſacerdotio præditus ſolus erat dignus,

qui

qui tantæ victimæ oblationi operaretur. At Romanenſium Eccleſia novum & inauditum Sacerdotulorum collegium inſtituit, Chriſtoque tanti muneris ſocios penè infinitos dedit homulos certè ineptos, nugas & quiſquilias meras, qui ſe Chriſtum Patri offerre ſomniant, qui non erubeſcunt, ſe dignos credere, ut manubus contrectent corpus Domini, indigni ſæpè qui farinam lingant, aut veſcantur muneribus terræ. Illíne Chriſtum offerant? Nec opus eſt, id faciant; injuſſi id ſibi arripiunt; denique ne poſſunt quidem. *Sanctificati ſumus enim per oblationem ſemel corporis Ieſu Chriſti*, Hebr. 10. v. 10. *per oblationem ſemel factam:* non ſæpe faciendam, non iterum & iterum repetendam. In hoc enim ſacrificium Chriſti veteribus diſſimile eſt, quod illa frequenti repetitione iteranda erāt, non abolito penitus peccato. Hoc autem plenâ pro peccatis præſtitâ ſatisfactione, non niſi ſemel offerri debuit placato & reconciliato Patri. Unde manifeſtum eſt, à repetentibus & reſtaurantibus hoc ſacrificium, injuriam fieri Chriſto, quaſi munus illud non perfectè adimplenti, cujus in ſe curam ſuſceperat, nondum placatâ Patris irâ, peccatis nondum expiatis, nondum redempto humano genere.

Quanquam ſatietas me jam cepit tot *Hæreſium*, quibus Evangelium laceraſtis, addamus tamen unam. Veritatis ipſius effatum eſt. *Chriſtum è terris ſubvectum in cœlos adſidere ad dextram Patris, & illic adorandum.* At homines veſtri detruſum è Cœlis Chriſtum, & ſub ſpeciebus panis & vini veluti larvatum hîc adorant & venerantur in terris. Hinc fruſtulum panis in Chriſti corpus tranſubſtantiatum mimico geſtu elevatur, cum pompa & ferculis

lis circumducitur, ut omnium ordinum veneratione concelebretur. Heu cæca & improvida impietas! placentulam modo à Pistore subactam & coctam nunc pro Deo adorandam obtrudere plebeculæ! Heu demens & væcors Roma, quis te furor impulit ejurare veritatem?

Claudat agmen insania Tridentinorum qui Sacramentum sub una specie administrari jubent, quod sub utraque fidelibus porrigi instituit Christus, sicut & usu suo exemplum ejus ediderunt Apostoli.

Ita tandem evici, Doctrinæ Paritatem, & legitimum Sacramentorum usum, corrupta & subversa esse à Romanensi Ecclesia. Quid jam è præmissis inferre debeat recta ratio, satis ex ante dictis manifestum est.

Supereſt de Eccleſiæ Romanæ Diſciplina ejuſq; partibus, & num ſanæ incorruptæque ſint, diſceptationem inſtituere. At Romanæ quidem Eccleſiæ partes in caput & membra dividimus: Pontificem & ſubditum illi clerum, qui ſine exitii pœna obſequium capiti negare non poteſt. De Capite ſic ajo. *Pontifex Romanus non eſt verus Epiſcopus. Ergo Romana Eccleſia non eſt vera.* Nam Eccleſia, ut vobis placet ſine Epiſcopo nulla eſt. Neq; mores hìc aut vitam culpo Pontificis; ſed quia illi abeſt, quod adeſſe debet ad munus Epiſcopi: quod veteribus illis adfuit; quod adeſſe Chriſtus juſſit. Juſſit autem ore D Pauli, ut Epiſcopus ſit Διδακτικὸς. 1 Tim. 3. verſ. 2. ut ipſe doceat, inſtituat, erudiat, non ut alios erudiendo populo præficiat; ut ipſe aptus ſit & idoneus ad docendum; non ut authoritate ſua curam illam aliis demandet. Cum enim de dotibus viri in Epiſcopum eligendi differit Apoſtolus

lus, Διδακτικὸν requirit, hoc eſt, non talem qui id curet ut alii doceant, (ignavis enim & indoctis hoc proclive eſt) ſed qui hoc ſibi negotii credat dari, ut ipſe doceat, erudiat, inſtituat. Quod diſertius ad eundem Timotheum explicat D. Paulus, 2 Tim. 2. v. 2. juſſum ea, *quæ acceperat, aliis tranſdare idoneis, ad alios docendos.* Quare vetus interpres, ut omnem vocis ambiguitatem excluderet, Διδακτικὸν interpretatur *doctorem. Quare qui docere neque poteſt, neque vult, Doctor non eſt, Epiſcopus non eſt.* Et quis amabo ſexcentis his annis inter Romanos Epiſcopos gregem ſibi commiſſum docuit? Quis docendi & concionandi munus non indignum putat ſuo faſtigio? cum tamen in terris nemini quicquam contingere poſſit honorificentius. Nam hoc labore fideliter defunctis gloriam ſyderibus illuſtriorem Scripturæ pollicentur. Docere igitur Papa non vult. Sed poteſtne? An non poſſit ille, qui ſcientiam omnem ſcrinio pectoris ſui occluſam gloriatur? qui ſe liberum & immunem ab erroribus jactitat? docentis certe partes nemo dignius ſuſtineat, quàm omnium gnarus & errandi neſcius. *Sed cum in Romano Papa jam deſuetudine obliteratum ſit munus illud Διδακτικὸν, concludo bonum illum virum ne particularis quidem Eccleſiæ paſtorem, multo minus Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum eſſe.*

Inter membra Eccleſiæ Epiſcopi ſunt & Presbyteri. Epiſcopi imitatores ſunt & æmuli Papæ compoſiti ad exemplũ. Ne ovum ovo ſimilius, quàm illi beatiſſimi congerrones ſuo capiti, ignavi, ſocordes, muti. Ergo quod de illo diximus, de his dictũ puta. Ne in presbyteris quidem didactici muneris ulla cura magna aut ſollicitudo eſt, & ſi qua ſit, impiiſſimi

simi sacrificii, quò Christum quotidie immolant, nugatissimo ministerio fœdatur & aboletur. Ne nimis excrescat Epistolæ moles, rem in pauca contraham. *Ubi ministeriũ legitimum nullũ est, ibi nulla est Ecclesia. Majorem vobismetipsis acceptã fero. Non enim legitimus est Papa, non Cardinalis, non Patriarcha, non Metropolitanus.* Quis enim genus hoc hominum instituit? Quo Warranto intrarunt Ecclesiam? Christine? Nequaquam. Num verbi divini? Non. Autoritate igitur nituntur humana. Efficientem igitur causam Ministerium Papisticum non habet. Forma verò quænam esse possit, cum ne vestigiũ illius in scripturis ostendi possit, unde tamen depromi debuit, si jus & titulum jactas legitimæ designationis. Materia autem qualis? indoctorum sæpe, impiorum semper hominum, qui sacerdotii Christum offerentis munia per scelus & nefas invaserunt. Finis autem quis? cujus gratia exercetur? Malus & detestabilis. Christum immolare, occidere, offerre, & de cœlo raptum detrudere in panem.

At populus, quem vos Laicorum probroso nomine dedecoratis, qualis tandem tali sub clero est? Imperitus, rudis, Sacrorum nescius, nomine Christianus, cæterum imperitia & moribus, quovis Saraceno, Turca, Judæo turpior.

Talis est Ecclesiæ vestræ status, talis conditio. Sic universale se habet. Sic in partibus laborat. Sic doctrina labascit. Sic Sacramenta fidunt. Sic corruit disciplina.

Hanc tu si catholicam, si veram, si sanctam, si unam prædicare pergas, haud invidebo tibi tuam insaniam: Cæterum Deum Opt. Max. precabor,

ut

ut evulsâ tandem altercandi pertinaciâ, lumen Evangelii & veritatis accendat in animo tuo, ut relicto hoc antro tenebrarum transfugias in Regnum lucis. Vale.

Tuus, ut ſolet, in Limbo Patrum.

JOHANNES BASTWICK.

FINIS.